


~~1000~~

1000

13.495.
22.






Compendium

**EX LYP SII
POLITICORVM
LIBRIS VI. CONTRA-
ctum exemplisque ele-
gantioribus hinc inde
collectis illu-
stratum.**

Studio & opera

**IOANNIS-PHILIPPI
BLANDNERI Laden-
burg: Palat: præfecti
Hirschhornen-
sis.**



IN NOBILI SPIRA

Excudebat Augustinus Scheiderus

A N N O

M. DC. XI.

1611





STRENVIS MA-
GNIFICIS ET TAM
SVA QVAM MAIORVM
gloria & virtute Nobilissimis
viris Dn. SEBASTIANO de
Hartzfeld, in Krotdorf Domino
in VVildenburg & Schönstein:
Electoralis Moguntini Consiliario,
ditionisque Exveldæ
præfecto.

ut

Dn. PLEICKHARDO
Landschadio de Neckersteinnach
Electoralis Palatinatus præ-
fecto in Germersheim, Do-
minis suis plurimum
honorandis.

IOHANNES PHILIPPVS
Blandnerus Not. Imper.
salutem.

A a



EPISTOLA
DEDICATORIA.

Pereleganter Plutarchus in libello de educatione liberorum scribit, Strenui, Nobilissimi, & Amplissimi viri, gloriam & nobilitatem parentum praclarum esse & magnificum Thesaurum liberorum: elegantissime vero Xenophon asserit, generosum & omni favore dignum esse ingenium, cui sunt cordi disciplina politica: Ei namque merito suscipiendus & gerendus est Magistratus, qui prudentiâ & iustitiâ praeeditus juxta regulam virtutis vivit, ideoque ad Rempubl. gubernandam idoneus,
se-

DEDICAT.

3

secundum leges ac non pro arbitratu imperat: prescribunt enim eadem quid faciendum quid vitandum, & sunt instar normæ juxta quam vivere debeamus, ne à limite veritatis deflectamus; Exempla autem virtutum ut & Reipubl. benè administranda, collegi pauca quidem, attamen insigniora ac utiliora: Impulit me & materia dignitas, & quod persuasum habeam, vos propter Exemplorum elegantiam ac jucunditatem ad legendum considerandumque hunc libellum fore avidiores. Scio equidem per multos Philosophos veteres variè & copiosè hac de re scripsisse, ita ut hic meus exiguus libellus non modo superfluus verum etiam multis

A 3

6 EPISTOLA

momis videatur inutilis, quibus respondeo ideo libros illos politico- rum Lypsi à me (retentis Au- thoris verbis) compendiosè con- tractos & exempla cuique vir- tuti accommodata ex optimis quibusque Authoribus esse se- lecta, ut conscribendo, ea, quæ mi- hi in officio scitu necessaria, ex flo- sculis istis haberem, sicque mihi ipsi inservirem: Hoc verò sæpè anxium me reddidit, quomodo gratum meum animum erga ve- stram Ampl. probarem, pro affe- ctu in me tam benevolo, nec ali- am quam hanc occasionem inve- nire licuit. Cum enim meritam gratiam pro singulari favore, be- nevolentia, & amoris abundan- tia versolvere nequeam; Beneficio
me

DEDICAT. 7

me alligatum profiteri, meque
gratum esse velle vobis sufficiat,
vobis igitur viri Magnifici hac
mea collectanea, meritò conse-
crare debui, duce naturâ paren-
te, qua non intra hos limites tan-
tum quosvis constringit, ut ab
sui similibus aut equalibus dili-
gi cupiat, sed eorum quoque fa-
vorem, qui genere, authoritate,
experientia, doctrinaque se sunt
multo majores, consecrari jubet,
ut illorum perspecta humanitate
aliquatenus, ad virtutem & ex-
perientiâ hauriendam majo-
rem contendat avidius. Hinc
cum V: V: Amp: magnifecerim
semper factum ut eorundem fa-
vore ac benevolentia nihil hacten-
us existimaverim optabilius.




8 EPIST. DEDICAT.

*Favoris itaque non parum asse-
cutum me sperabo, quando hos
meos exiguos fructus vobis con-
secratos, benigne susceperitis cre-
broq; perlegeritis, Valete. Hirsch-
hornnij. 25. Martij. Anno 1611.*

V. Nobil. Ampl.
officiosiss.

*Ioannes-Philippus Blandnerus
Ladenburg. Palatin.*



LIBRI PRIMI

Cap. 1.

Vita civilis est, quam in hominum societate, mixti degimus, ad mutua commoda sive usum, ad hanc vitam requiruntur duo rectores: prudentia & virtus.

Virtus dividitur in duos ramos, pietatem nempe & probitatem. Illa est rectus de Deo sensus, rectus in Deum cultus. Duo ex hac definitione sunt notanda. 1. Rectus de Deo sensus, nam de Deo optime existimare pietatis est exordium. 2. Rectus in Deum cultus.

Cap. 2.

Cultus nihil aliud est, quam cognitio numinis veneratio, certis legibus ceremoniisque devincta: Coli enim vult Deus, & huic fini natus est homo. Cultus iterum est duplex, internus & externus, ille est qui in animo & ex animo Deo vero preces concipit, laudes, grates. Iste vero, qui hæc eadem peritus & gestus exprimit, & hoc totum Religionem vulgo appellamus.

A

Cap. 3.

DE pietate dixi, nunc addo duos surculos qui ex hac arbore id est pietate nati, & appendices sunt; Fatum sc: & conscientiam; Fatum originem ducit ex sensu: Conscientia ex cultu. Fatum est cuius lege immobilis rerum humanarum ordo seritur, & sanctio & velut vox divinæ mentis.

Cap. 4.

HAstenus de fato: Conscientia quoque est pietatis soboles, & originem habet palam à radice cultus; Ubi enim illa floret & viget hæc pariter! Ubi verò arefcit & languet, & ista languet. Conscientia est reliqua in homine recta rationis scintilla, bonorum malorumque facinorum Judex & vindex: Propterea est duplex Approbatio sc: & Opprobatio, illa in benè, hæc in secus factis consistit.

Aliàs conscientiam vulgò nominamus, violati numinis aut perperam culti tristem cogitationem & morsum. Ideo ait Cicero libr. 13. ad Artic. in omni vita transversum unguem à recta conscientia ne discedito.

Capo

†
Cap. 5.

Iam ad alterum virtutis membrum
Probitatem nimirum; probitas autem
hæc ad morale pertinet; Ideo definitur
recta, in moribus & actione omni, vita ex
honesti norma: Hæc enim pietati est in-
nexa; Nam sine moribus pietas quicquid
vultu, voce, colore, præferas, vana & imo
nulla: Et cum Salustio dicas, esse quam
videri probus malo.

Cap. 6.

Via tuæ unum ducem habes, nempe
virtutem, nunc ad alterum membrum,
prudentiam accedamus, quæ virtutis ipsi-
us est rector & director, sine prudentia e-
nim quæ potest esse. Prudentia est intel-
lectus rerum, quæ publicè privatimque
fugiendæ aut appetendæ: Privatim &
publicè dixi, quia species eius est duplex,
domestica & civilis, quarum illa sibi, hæc
aliis prodest. Ideo Aristot. 4 Ethicorum
c. 5. ait: Prudentes censemus, quia ea, quæ
sibi quæque hominibus conducunt, pos-
sunt despiciere.

Cap. 7.

PRudentiæ sunt parentes duo: Usus & memoria rerum: usus est notitia humanarum rerum ex visu vel tractatu. Memoria est notitia similis ex auditu vel lectu, usus est paulo firmior memoria: per sua enim non per aliena pericula discit; Quin plerisque eventibus ipse adest, interest, præest: Ideo verè scriptum à Plinio libr. 26. usus efficacissimus omnium rerum Magister.

Cap. 8.

Sequitur memoria parens altera, quæ nihil aliud est quàm historia. Nam est custos illustrium virorum, virtutis: Testis malorum, sceleris: beneficia in omne humanum genus ait Diodorus Siculus. 1. Bibliorum: Et verissimam disciplinam exercitationemque ad res Civiles historiam esse ait Polybius lib. 1.

Cap. 9.

Quis legitimus usus, finis & modus sit horum rectorum nimirum prudentiæ & virtutis. Usus est a vidè hauriendus.

dus, non enim paranda nobis solum sed
 fruenda sapientia est. Finis est: Non ut
 eam habeas ad pompam aut speciem, nec
 ut nomine magnifico seque otium veles,
 sed quo firmior adversus fortuita tempu-
 bli. capeffas.

Et. 3. Habeto cum modo, quia plus
 scire velle, quàm satis sit in-
 temperantiæ ge-
 nus est.



LIBRI SECVNDI

Cap. 1.

Vitæ hujus rectores sunt ostensi; Nunc de Imperio universè dicitur, ejusque necessitas & fructus in societate ostenditur.

Vita civilis in societate est. Societas in duabus rebus consistit, Commercio & Imperio: Imperium definitio certum ordinem in jubendo & parendo. Cujus tanta vis & necessitas est, ut sine Imperio nec domus ulla, nec Civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec mundus potest.

Cap. 2.

Imperium autem hoc est triplex: Principatus, optimatum & populi status, Nam cunctas nationes, & urbes, populus, aut primores, aut singuli regunt, ait Tacitus.

Sed quæ ex his optima est? diu hoc est in lite, principatum præferendum censeo. 1. Quod ille est vetustissimus, & certum
tum

tum est, (omnes antiquas gentes regibus primum paruisse.)

(Idque in terris nomen Imperii primum fuit.)

Cap. 3.

Definitur principatus verus ac legitimus ita : quod sit unius Imperium moribus aut legibus delatum, susceptum, gestumque parentium bono. posui primo (unius imperium) viti ne an foeminae ? Utriusque sed prioris maxime, quia iubet sic natura : Tum etiam ratio : Nam palam est quod ille conditor Deus, foeminis quidem pectus instruxit dolis, sed vim negavit.

Cap. 4.

Additum est in definitione principatus (moribus aut legibus delatum) duo enim legitimi sunt modi capiendi principatus electio & successio est ; Cum gentilis is homo est, & princeps è principe nascitur.

Electio est cum non attento natalium Jure suffragiis princeps designatur) electio quidem est antiquior : Tamen successio receptior, & aspectu aliquo melior.

Cap.

Cap. 5.

Additum est in definitione, susceptum gestumque non temere sane, quia sunt, qui suscipiant rectè sed non gerant & finiant.

Cap. 6.

In fine definitionis positum est (parentium bono) in his verbis finis ipse veri principatus comprehenditur, ad quæ currat regias hic Athleta: Qui finis non alius est, quàm subditorum commodum, securitas, salus: Et in hac re una, maxime ab ille à Tyranno: Quod Tyrannus suum ipsius commodum spectat & quærit, at Rex subditorum.

Cap. 7.

Dvo sunt quæ legitimum & numeris suis absolutum principem faciunt, prudentia & virtus: illa ut in actionibus eius cluceat, hac in vita. De virtute prius dicendum quæ regi assumenda, & per regem etiam his qui regnantur: Regi, quia ita decorum est, ut probitate emineat, qui dignitate: subditis ideo, nam
ubi

ubi virtus abest, quæ societas, non dicam
laudabilis, sed firma esse potest.

Cap. 8.

Subditos autem probos fieri à Magi-
stratus exemplo, duplici via contin-
git, legibus & exemplis: Exemplis, nam
ut ait Seneca, Rex velit honesta, nemo
non eadem volet.

Cap. 9.

Virtus ergo omnis magistratui decora
& utilis inter quas magna sunt Iusti-
na, Justitia & Clementia; Primum est sol.
Illa definitur virtus jus & æquum in se
inque aliis firmiter servans: In se dixi,
quia principem sive Magistratum ipsum
huic alligo, quem legibus placet subici,
& si (quorundam sensu) eas principi ne-
mo scripsit. Addidi (in aliis) Causa enim
reosque audiat, quia inauditi aique inde-
fensi tanquam innocentes pereunt.

Cap. 10.

Sequitur nunc alterum lumen Magi-
strarui, clementia quæ est imperiorum
luna. Hæc definitur (virtus animi à pœ-
na aut vindicta, ad lenitatem, cum Judi-
cio

icio inclinandis) hæc virtus homini omnium convenientissima, quia humanissima. Non temerè positum in definitione (cum Judicio) quia absque illo mollities & lenitudo est clementia, atque adeo non virtus.

Cap. 11.

Iustitiam & clementiam sequuntur, fides & modestia, fides est effectus, qui in nobis sit, dicti aut promissi.

Modestia est ratione temperatus nec actione exultans de se suisque sensus.

Modestiam autem ita commendo, ut non spernam ab eo Majestatem. hæc est Reverenda quædam amplitudo ob meritum virtutis aut rerum ad finem,

Cap. 12.

Sequuntur jam minores aliquot virtutes quæ Magistratum deceant. 1. Beneficus sit, liberalitate enim est naturæ hominis accommodatius. Sed cum Judicio. 2. Castus sit; Animo enim per libidines corrupto nihil honestum inest.

3. Conjugi deditus ne tamen (cum claudiano illo stipite) conjugum imperiis obnoxius sit. 4. Itam fugiat, eaque aut

aut nulla aut aperta sit. 4. Convitia sper-
 nat, nam magni animi est proprium, pla-
 cidum esse tranquillumque & injurias
 atque offensiones superne despiciere. 6.
 Famam ne contemnat sed laus & poste-
 ritas semper in oculis sit, censeatque, cæ-
 tera statim adesse, unum insatiabiliter
 parandum prosperam, sui memori-
 am., nam contemptu famæ,
 contemnantur vir-
 tutes.





LIBER TERTIVS

Cap. 1.

Sequitur iam prudentia magistratui pernecessaria, sine ea enim vis & opes inutilia; Duplex autem est prudentia: A se & ab aliis, illa optatui, hæc contingit, rarum enim imò impossibile est, ut magistratus à se uno satis sapiat: Itaque adiutores ei capiendum idque iudico.

Cap. 2.

Sunt autem duplices adiutores: Consiliiarii & Ministri: Appello consiliiarios (qui fide rerum hominumque periti, salutaria suggerunt pace sive bello) & illi debent esse senes (quibus corpus annis infirmum) ingenium sapientia validum sit.

2. Fortunâ variâ exercitos: 3. Satis acutos sequitur in definitione (ut salubriter consulant) consulent autem si has 5. lineas diligenter observabunt. 1. Pietatem. 2. Libertatem ut fortiter sententias dicant. 3. Constantiam. 4. Mod-

de-

deffiam. 5. Silentium, quia taciturnitas
optimum atque tutissimum rerum ad-
ministrandarum vinculum.

Cap. 3.

Viranda autem sunt Consiliariis. 4.
Quæ sunt impedimenta bonæ men-
tis. 1. Contumacia, qui consilii quam-
vis egregii, quod non ipsi adferunt, sunt
inimici.

2. Discordia inter consuasores. 3. Af-
fectus, imprimis vero ira (cum qua nihil
rectè nihil consideratè fieri potest. 4. A-
varitia, nam avaritia est, quæ fidem &
probitatem evertit.

Cap. 4.

DE Consiliariis dictum res monet, ut
etiam quomodo se Magistratus gerat
in audiendis consiliis, dicatur, in capien-
dis consiliis hæc seruet. 1. Maturè de-
liberet. 2. Audiat cum iudicio. 3. Tum
sine pertinaciâ, quia æquius est, ut tot ta-
liumque amicorum consilia sequatur,
quam tot talesque amici suam unius vo-
luntatem. 4. Sententiam suam celer,
secundum illud (fieri quid debeat cum
multis tracta, quid factururus sis cum pau-
cissimè

ciffimis vel potius ipse tecum. 5. Libertatem admittat nec patiatur assensationes. 6. Sine discrimine audiat, id est tã infimum quàm superio ē; & bona Consilia præmiis non afficiat. NB. Ratio, ne quis spe adipiscend. à vero deflectat. Ultimo addendū est: Ut spernat magistratus illud genus domestici consilii, qui in aures ipsius fictè & simulatè, questus sui causa insufurrant, & hi sunt Cubiculatores illi Consilarii.

Cap. 5.

H Actenus de Consiliariis: transeo ad alterum genus, nimirum ad ministros: illi sunt (qui publicè aut privatim exhibent in functione, aliqua sui usum) publicè: Ut sunt præfecti, præsides, Quæstores, Iudices &c. privatim: Ut sunt: ii qui ad aule saltem usum aut splendorem adhibentur.





LIBER QVARTVS

Cap. I.

Dictum est huc usque de prudentiâ alienâ, nunc de propriâ magistratus prudentiâ agendum est, quæ duplex, Togata & militaris; illa definitur (quæ in quotidiana hac gubernatione, tranquillisque rebus intervenit) hæc verò est (quæ in bello rebusque turbatis)

In Togata rursus sunt considerandæ res divinæ, & humanæ; Divina prudentia est (quæ sacra Religionemque tangit & dirigit, quatenus tum magistratus cura)

Queritur ergo hinc semperne & an omnes puniendi sint, qui dissentiunt in Religione. Rationes dupliciter sumuntur, peccantes aut dissentientes, publicè & privatim.

Publice qui & ipsi malè de Deo receptisque sacris sentiunt, & alios ad sentiendum per turbas impellunt; Privatim vero, qui pariter malè sentiunt, sed sibi priores debent puniri, posteriores verò non item.

Cap.

Cap. 2.

PRudentia in humanis rebus est (peritia in externis tranquille & firmiter gubernandi) duos habet fontes, Naturam populi, & naturam regni, ut nimirum hæc duo accuratè noscas.

Cap. 3.

Nunc dicendum quæ firment Regnum & juvent, postea subiungetur quæ perdant & lædant. Duo sunt, quæ tranquillam & firmam efficiant Regnum: Vis & virtus. Item quæ turbidam aut caducam reddunt. Vis & vitium. Vis nominatur (præsidium, quod princeps utiliter adhibet ad se tuendum aut Regnum.) & est duplex ut milites & munimenta: Milites iterum duplices: custodes & ordinarii:

Custodes: Qui sunt Regis ipsius tutela propria: ordinarii sunt qui ad subita casum aut bellorum parati semper adsunt. Munimenta sunt duplicia: Arces aut Coloniae.

Cap. 4.

Sequitur alterum firmamentum Imperii nimirum virtus: Quæ definitur
(lau-

(laudabiles, utilesque imperio affectus
de magistratu vel in magistratum) hæc
autem virtus consistit in duobus: bene-
volentia & auctoritate: Benevolentia est
(subditorum in magistratum eiusque
statum prompta inclinatio & amor.)

Cap. 5.

Authoritas est altera huius virtutis
pars, quæ definitur (impressa subditis
sive & exteris opinio, reverentia de magistra-
tu eiusque statu) est enim ingenita qui-
busdam gentibus erga magistratus suos
veneratio: Veneratio autem venit ex tri-
plici modo: Forma imperii. 1. potentia
imperii. 3. moribus imperantis. For-
ma imperii, in qua tria ad auctoritatem
requiruntur; 1. ut severa sit. 2. ut con-
stans. 3. ut astricta.

Alteria via Auctoritatis est potentia
imperii: (nam quinque hæc instrumen-
ta dabunt. 1. opes. 2. arma. 3. con-
silia. 4. foedera. 5. fortuna.

Tertia via sunt mores imperantis:
Et hi sunt duplices, interni & externi, illi
qui sunt in animo, ut virtutes: hi qui
sunt in corpore: ut habitus aut gestus.

Cap. 6.

Quæ iuvant ac firmant Imperium dicitur iam ad ea quæ perdant, veniendum est, in quibus 1. vis est, (quæ definitur ut sit molitio occulta unius plurimumve in magistratum eiusque ditionem: occultam dixi, quia hic non de omni vi aperta agitur, ut est factio, seditio, bellum, de quibus sexto lib. 20. De eodante tractabitur.

Cap. 7.

Dictum est de vi bona, de virtute, de vi mala & perniciofa; reliquum est ut etiam de vitio aliquid agatur: Quod definitur (pravos noxiosque imperio affectus, de magistratu) Et est duplex, odium & contemptus; odium est (subditorum in magistratum eiusque statum malevolentia pertinax & offensa) oritur autem odium ex nimio supplicio contra subditos. 2. Ex graviori tributo. 3. ex intollerabili censura quia nimirum frænum & modus, nimis accuratè invitis imponitur, & definitur censura (arimadversio in mores aut luxus eos qui legibus non arcentur) Mores intelligo lasciv-

vias, libidines, ebrietates, iurgia, peruria &c.

Luxum colloco in his quatuor: in pecuniâ, domo, convivio, veste, Nam ut ait Iuvenal. sat: 6. Turpi fregerunt secula luxu divitiarum molles.

Domô; ne superbe nimis struant & instruant.

Conviviis, ne luxus mensarum profusis sumptibus exerceantur.

Veste ne promiscua viris & foeminis: Nobilibus & Plebeis, sed ut cuique suus sit cultus conveniens.

Nam conviviorum & vestium luxuria aegrarum civitatis Iudicia sunt.

Cap. 8.

Finitum de odio: sequitur de altero vitio contemptu: is est (impressa subditis aut etiam extraneis, vili abiectione opinio, de Rege jusque statu.)

Cap. 9.

In hac quidem prudentiâ fraudes quoque admittendas, quidam existimant, ita tamen ne fraudibus fræna permittantur.

Fraudem definiunt in genere (argutum consilium, à virtute aut legibus devium,

Regis Regnique bono.) Fraudem autem
triplicem faciunt, levem, mediam & ma-
gnam: Levem volunt (quæ non longè à
virtute abeat, malitiæ rore leviter asper-
sa) in qua sit confidentia & dissimulatio.

Mediam vocant (quæ à virtute flectat
longius, & ad vitii confinia veniat) in
qua ponunt conciliationem & deceptio-
nem.

Tertiam vocant quæ non à virtute fo-
lum, sed legibus etiam recedat, malitiæ
jam robustæ & perfectæ: uti sunt perfidia
& iniustitia. levem suadent, mediam
tollerant, magnam damnant. Ego
fraudes nullo modo admit-
tendas censo.





LIBER QVINTVS

De prudentia militari

Cap. 1.

OMnis prudentia militaris, circa bellum est: Bellum autem duplex, externum & internum: illud definitur vis & arma in principem aut populum alienum: omnia autem præcepta quæ requiruntur ad hoc bellum externum, redigi possunt ad hæc tria capita. 1. suscipiendi rectè. 2. gerendi. 3. finiendi.

In suscipiendo bello duo hæc serio monentur: ut iniustitia & temeritas omnis absint, sed e cõtrà bellum iustum suscipiatur: Iustum bellum consistit in his tribus. 1. Authore iusto. 2. Causa iusta. 3. fine iusto. Auther est princeps. Nec enim cui libet fas est aperire bellæ portas.

Causa iusta est duplex, defensio & invasio. Finis est: ut arma non aliò dirigantur, quàm ad tranquillitatem & tutelam: Nam si ultio alicui proposita est, aut gloria, aut imperium tunc peccat.

Sequitur jam temeritas quæ in suscipiendo bello abesse debet: (quicquid enim præter opinionem evenire in bello potest priusque ingrediatur, confideret.)

Cap. 2.

DE suscipiendo bello satis jam de gerendo: in qua tria consideranda vel potius desideranda: 1. Apparatum. 2. Viros. 3. Consilia apparatus vocatur (res necessariae ad usum omnem belli) ut sunt hæc tria. 1. pecunia. 2. commeatus. 3. arma.

Commeatus est annona, sine qua non dicam, vincere non possumus, sed nec vivere arma vocatur, armamentarium in quo ad certum numerum peditum equitumque tela & arma sunt: addo & instrumenta, nautica.

Viros definiunt armatam multitudinem aptam impugnare & repugnare) ea multitudo dividitur in milites & duces: Milites iterum duplices: pedites & equites:

Dubitatur autem utri sint meliores, pedites an equites; Polybius equites attolere videtur: ego distinguo: In pugna equites præcellunt, in locis vero angusti-

is

is & montosis pedites & quanquam in
præliis pedites etiam valeant.

Cap. 3.

V Trique autem tam equites quam
pedites boni & fortes esse debent, &
habebis eos tales si hæc duo instrumenta
adhibueris: dilectum & disciplinam.

Dilectus est (eorum qui armis idonei
sunt, cum iudicio electionem, idque è tu-
is) nam domesticus miles longè semper
præferendus externo: causa, quia invidi
semper exteri.

Cap. 4.

Dilectus igitur è tuis esto, sed ut addi-
tum (cum iudicio) quod in his duo-
bus consistit, quos nimirum & quomo-
do eligas: de priore puto, duo genera mi-
litum esse scribenda: ordinarios & subsi-
diarios: ordinarios nomino illos: qui assi-
duè & velut ex munere atque arte mili-
tent, hos verò qui rarò militent, qui que
domi sint aliarum rerum.

Cap. 5.

Quos eligas dictum est, restat ut a-
gatur de altero, quomodo nimi-

tum illi eligantur, non enim passim & temerè oblati, sunt assumendi. Boni autem robustique militis certa indicia & velut notæ sunt, hæc quinque; (patria, ætas, corpus, animus & vita) de patria duo: Quod profectò loco um asperitas hominum quoque ingenia durat, ideo rusticus præ cæteris assumendus.

Altera nota est ætas ab anno nimirum 17. aut paululum supra. Quia non tantum celerius, sed etiam perfectius imbibuntur, quæ d. scuntur à pueris.

Nota tertia est corpus: Quod debet esse grande & prælongum, ut quibusdã. placuisse video: Exempli gratiã Regi Pyrrho: (quid dilectori suo fertur dixisse, tu grandes elige, ego eos fortes reddã.

Nota quarta: Animus: Nam hic est in quo totius Reipublicæ salus vertitur: animus acer, & præsens, & acutus, idem atque versutus invictos viros efficit, & illi sunt eligendi quibus sudor, pulvis, & alia talia epulis iucundiora sunt.

Ultima nota est vita: Quo nimirum genere quæstus aut artis quilibet sese sustentet; observandum enim hoc est maxime an ad molitiem, aut duritiem, ignaviam aut ferociam; nam piscatores, aucupes, dulciarii, linteones, & omnes qui
ali-

aliqui'd videntur tractare pertinens ad
gynæcea, longe repellendi sunt à castris,

Cap. 6.

H Actenus de dilectu, iam de discipli-
na, altero nimium genere militum,
eam appello severam conformationem
militis ad robur & virtutem.

Partes disciplinæ sunt quatuor. Exer-
citiū, ordo, coëctio, exempla. Priores
duæ partes ad robur maxime spectant:
Tertia ad virtutem; quarta ad utrumq;
exercitiū intelligo, ut 1. militem assi- 1.
duè ad arma condocer facias.

Nam exercitus dicitur, quod melior 2.
fit exercitando: qui multipliciter est ser-
vandus in militia, ut in dirigendis copiis,
per legiones, cohortes, cēturias, decurias.
Quod non tam pulchrum quam utile
est.

Tertia pars coëctio, quæ mores sc: 3.
militum coërcet ac frænatur; Tria autem
sunt sine quibus nec robur in exercitiū,
nec ordo esse potest. Ut sunt continentia,
modestia, abstinentia. Continentiam in
cibo & venere, ne conviviis & ventri de-
diti sint.

Modestiam autem colloco in his tri-

bus: in verbis vestibus, & factis: In verbis ne sint vani, bucca turgidi, & tales qui in conviviiis, cum de hostibus mentio incidit, vix manibus temperant) sed contra fortissimi in ipso discrimine, qui ante discrimen modestissimi. In vestibus, quia melius est, eos indecoris armis, & militaribus equis, quàm in scortis atque conviviiis libidinem habere ut tamen modus servetur.

In factis denique modestia est quaerenda, ut sint obnoxii & parentes: latent ad ducis non modo signum, sed nutum. Odi refractarios, quia iussa ducum interpretari malunt quàm exequi.

Tertiò abstinentia laudabilis ingessi, qua milites à vi rapinisq; abesse debent, & habere manus puras. (Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo detrat, oleum, sal, lignum, nemo exigat, annonam sua contentus sit) ut nunc sunt mores facile quis videtur dum hæc statuit, attamen apud veteres strictè hæc in usu; (ut in memoriam tradiderit Scaurus, pomiferam arborem quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die abeunte exercitu, intactis fructibus relictam.

Pars

Pars ultima disciplinae, exempla sunt: quibus intelliguntur poenae & praemia: praemia quidem si benemeritis tribues promotiones, honores, opes.

Cap. 7.

Viros supra in capite 2. divisimus in milites & duces de militibus per tractatum; sequitur de ducibus. Duo sunt genera Ducum primarii & secundarii; illi vocantur (qui summæ rei imperant, suisque auspiciis ac ductu rem gerunt.

Hi vero qui imperantis alterius nutu sive iussu imperant, & illius saltem ductu rem gerunt.

In legitimo autem duce. s. requiruntur: scientia, virtus, providentia, auctoritas & fortuna.

Scientia (nimirum ut artis suæ gnarus sit, & qui militiam longo usu combiberit.

Virtutem) intelligo corporis ingenii- que vigorem quendam & simul animi probitatem) qui possit de se effari, facta non dicta mea, vos milites sequi volo, nec disciplinam modò, verum etiam exemplum à me petatis.

Providentiam) ut cauti sint ac cunctantes, nullo loco nisi quantum necessitas cogat, commissuros se fortunæ.

4. **Authoritatem**) vehementer enim pertinet ad bella administranda, quid hostes, quid socii de Imperatoribus existiment.
5. **Felicitatem**) cuius author solus Deus est, eamque præstare à se nemo potest: Itaque in ducibus deligendis felicitas illorum est aspicienda.

Cap. 8.

DE viris plane absolutum, restant consilia quæ sunt necessarium belli instrumentum: Consilia distinguuntur in recta & obliqua: Illa sunt (quæ planam & militarem viam ineunt) hæc vero, quæ occultam & astus semita grassantur.

Prioris generis hæc sunt. 1. occasio in bellis observanda. 2. famæ serviendum, & interdum non serviendum, quia fama plerumque est incerta. 3. securitas est fugienda: Nam nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet. 4. in omnia inquirendum est, præsertim in mores & naturam hostium, & in ipsius ducis ingenium. 5. Videndum quando pugnes, & nunquam temerè. 6. Captanda sunt tempora pugnandi: ut nimirum imparatis, cibum capientibus, in itinere lassis, equos suos pascentibus, ac nihil tale suspicantibus supervenias. 7. locus est consideran-

randus, utrum in locis angustis, utrum tibi an inimico videatur accommodus. 8. si tui vincunt cohibe illos, & non nimis diffunde, nā posset aliās fieri, ut falsa acies hostis, rursus vires repararet, & tuos propter securitatem dispersos interimet. 9. à prædâ longe sunt arcendi, nam alàs omissio hoste, spolia confectarentur, & ita magnum tibi crearetur damnum.

Cap. 9.

Dictum de directis consiliis, iam ad obliqua sive obscura; ea vulgo nominantur stratagemata.

Hinc oritur controversia, an illa stratagemata sive fraudes sint admittendæ in militia: Negant quædam candidæ & simplices nature, & aiunt veri esse militis non fraude neque occultis, sed palàm, & armatum hostes suos ulcisci & pro his etiam stare videtur, Poëta ubi dicit, nemo mentis altæ clanculum velit occidere hostem. 3. probant populi quidam tam novi quam veteres. Veteres quidem, ut Achæi, qui græciæ (quam vocabant fallacem) valde propterea invidabant.

Sed contrarium est verum. 1. quia ille in quem usurpamus machinas, est hostis, quem ita perdere fas mosque est, secundum poetam.

Do-

Quolus an virtus quis in hoste requiratur.

2. Probat ipse sacrorum antistes Augustinus, ubi ait (cum iustum bellum suscipitur, & aperte pugnet, quis aut ex insidiis, nihil ad iustitiam interest.

Cap. 10.

DE consiliis quæ ad pugnam faciunt propositum est, nunc quid post pugnam accidat, subiicitur, & flexu ducam te ad candidam illam metam, id est pacem, post pugnam aut victoria est aut clades, incumbunt, si victoriam habes tria tibi servanda, ut nimirum eam habeas cautè. 2. leniter. 3. modestè. Cautè ideo, quia fermè sit, ut res secundæ, negligentiam creent. 2. leniter ideo quia turpe est, nimium iactitare de victoriâ summâ, & quia per se victoria est cruda.

Tertiò modestè: ideo nam non solum felicitas in malo ingenio avaritiam, superbiam, cæteraque occulta mala patefacit, sed rebus secundis & iam egregii duces insolescunt) item fortuna vitrea est, tunc cum splendet frangitur.

Si vero cladem passus es: duo tibi servanda: ut prudenter eam & fortiter feras; prudenter ut nimirum noris eam seriò & perpendas.

De-

Deinde ut fortiter feras (nam infirmi
ingenu ex lapsu aliquo luminæ rei diffi-
dere.

Cap. 11.

Satis iam satis pugnatum est, postquã
dictum est, quomodo suscipienda sint
bella & gerenda: Nunc etiam sequitur
quomodo finienda.

Pacis enim nomen dulce est, res vero
ipsa cum iucunda tum salutaris.

In omni autem pace hæc duo confide-
randa sunt: ut honesta sit ea & simplex,
honestam intelligo, ut cum al qua tole-
rabili conditione finias bellum, ut vera

pax ea sit, non pactio servitatis De-

inde simplicem dixi, ut nimi-

rum pura illa sit & candi-

da non ficta, non

fucata.



LIBER SEXTVS

Cap. 1.

De bello civili.

FInem externo bello imposuimus, aggrediamur nunc civilia bella: Et definitur bellum civile (arma subditorum in principem mota aut inter sese) quo sanè nihil miserius, nihil scœdius, & quod meritò mare ipsum calamitatum dici potest. Causæ civilis belli sunt duplices, remotæ & propinquæ. Remotæ definiuntur, quæ primæ vereque causæ sunt, sed minus adhærent affectui aut apparent:

Has vocant quæ ortæ ab illis eventui conjunguntur, & palàm se ostendunt: inter remotas causas referuntur, fatum & luxum; Nam quæ alia res furores civiles peperit, quam luxus & nimia felicitas: huic luxui potest resisti, fato autem nunquam.

Cap. 2.

CAusæ propinquæ belli civilis sequuntur: Quarum tres nominantur. factio,

Factio, seditio, tyrannis. Factio definitur, paucorum aut plurium inter se coitio, & cum aliis dissensio: cui factioni est origo plerumque. 1. à publicis aut privatis familiarum odiis. 2. ab ambitione dum quis præire vult, aliumque detrahere. Insignia & discrimina nominum vestiumque faciunt, ut interdum magnum exitium creetur, quod non est permittendum.

Altera causa propinqua est seditio, quæ definitur, multitudinis in principem aut magistratus, subitum & violentum motum: de cuius seditionis origine, progressu & remediis ordine dicetur, origo eius venit. 1. ab oppressione aut metu, cum nimium valde opprimuntur, ac sibi metuunt à magistratu.

2. Venit origo seditionis ab indulgentia & rebus laxis. Livius 2 ait, non miseris sed licentiâ tantum concitum turbatum existere.

3. Interdum tamen etiam ab inopia: semper enim in civitate quibus opes nullæ sunt, bonis invident: vetera odere, nova expetunt, odio suarum rerum mutari, omnia student.

4. Venit origo seditionis à Ducibus sæpè ipsis, qui se se seduci patiuntur.

Nunc

Nunc de progressu seditionis. 1. enim clam & nocturnis colloquiis deterrimum quemq; congregant, & ibi inserunt querelas de principibus, & alia turbamenta. 2. alliciunt promptos ministros seditionis, & agant audacius.

Sequuntur jam remedia. 1. necesse est ut in tempore occurras: (nam omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius) 2. Cavendum ne princeps ipse eat ad sedandum, sed autoritas illius majoribus remediis servetur. 3. per artes eas divelle ac disiunge, quosdam præmiis ad te allice, quosdam subdolè ad eos mitte, qui simulent se eadem velle, quo plus autoritatis consiliis insit. Si ad te redierunt ne sævias, (omnium enim culpa fuit, paucorum autem pœna.

Tertia causa propinqua belli civilis, est Tyrannis: & definitur violentum unius imperium, præter mores & leges) Nam inter Regem & Tyrannum hoc est discrimen, quod alter arma habet, quibus inunimentum pacis utitur, alter ut magna odia magno timore compescat.

Tyrannus habet nobilitatem; gestos honores, pro crimine, & ob virtutem certissimi-

rissimum expectandum exitium) imo
 etiam ob doctrinam : Nam pellunt Ty-
 ranni sapientiæ professores, & omnes bo-
 nas artes in exilium agunt : Thales in-
 terrogatus, quid difficile vidisset. Tyran-
 num, inquit, senem. sed hîc etiam est no-
 tandum, ut subditi caveant, ne qua in il-
 lis ipsis sit durioris imperii culpa : Nam &
 Alexander Magnus dixit (Regum, Du-
 cumque clementia non in ipsorum mo-
 do, sed etiam in illorum qui parent inge-
 nis sita est; interrogatus Plutarchus, quid
 ita sparta floureret ? an quia Reges rectè
 imperare scirent ? Imo inquit quia Cives
 parèe.

Cap. 3.

Iam quæritur quomodo se gerere de-
 beat vir bonus in bello civili ? Quiescat
 ne an abeat ad partem aliquam ? Ratio &
 Exempla suadent ut quiescat : Ratio, quia
 a : ma civilia neque parari, neque haberi
 possunt, per artes bonas, etiam finis in iis
 plerumque est improbus, & duces bo-
 num publicum simulantes, pro sua quis-
 que potentia certant.

Exempla etiam suadent : (ajunt enim
 gloriari solitum Quintil. Hortensium,
 quod nunquam civili bello interfuisset,
 idem

idem etiam de Asinio Pollione dicitur Velleius. SC.

Contrariam vero sententiam nonnulli sectantur, & probare posse putant ratione & exemplis: ut nimirum ad alterutram partem accedat, intellige ad suos: Ratio namque dicitur, ne ubi dissidium est, vir bonus se jungat se a suis.

Exemplum ponunt in Solone, qui lege al qua quietos huiusmodi submovit: (in casu) inquit, civilis discordiae, qui non alterutra parte sese adjunxerit, sed solitarius separatusque a communi malo civitatis secesserit; a domo, patria, fortunisque omnibus careto, exul, exterisque esto.

Quid de Catone dicam virtutum illa imagine: is non comitem solum civilibus armis se praebuit, sed ducem: ergo & vir bonus idem faciet.

Cap. 4.

Iam de finiendo bello civili: finitur illud dupliciter: Pactione aut victoria, illa eligenda videtur & omnino melius, sapientiam potius bellum extinguere, quam armis & ferro rem in discrimen adducere. Video tamen plerisque placere alterum modum finiendi belli civilis, qui splendidus est potius quam salutaris, nam ex vi-

cto-



Storia cum multa mala, tum certe Ty-
rannis existit.

Hactenus quæ magistratui usui sunt
quam paucissimis perscripta sunt: nunc
voto finiendum est compendium hoc.
Tacitus 14. Annal ait (& socios, Cives, ac
Deum ipsum precor, Deum: ut Magistra-
tui ad finem usque vitæ, quietam & in-
telligentem humani divinique Juris
mentem det:) subditos vero ut cum lau-
de & bonis recordationibus, facta
atque famam Magistratus
prosequan-
tur.

Annue Rex Regum.

FINIS.



S. E.

S
T
E
D

Qu

V
nam
sim





SEQVUN-
 TVRIAM EX-
 EMPLA AD PRAE-
 DICTAS VIRTUTES
 sectandas & vitia vitan-
 da, accommo-
 data

LIBRI PRIMI

Cap. 1.

Quod agit de duobus. 1. de vir-
 tute in genere. 2. de pie-
 tate seu fide.

Exemplum primum.

VEspasianus Imperator, multa in se
 signa hominis habuit virtuosi, *Suetonius in*
 nam inimicitarum offensarumque mi- *Vespa-*
 nimic memor, executor vè fuit. Neque te- *sian. pa-*
 me. *gin. 29.*

merè insons punitus reperiebatur, nisi eo absente, & ignaro, aut certe decepto. Amicorum libertatem monend, lenissime tulit. imo in omne hominum genus liberalissimus fuit. Ingenia & artes vel maxime fovit, primus è fisco latinis græcisq; rhetoribus annua centena constituit.

Sed quia nunc de qualibet virtute in specie dicendum venit, unico hoc Exemplo de virtute in genere acquiescamus.

*Chron.
nic. cha-
rio. lib.
2. pag.
mibi
180.*

Primum Exemplum pietatis est in rege Iosia, regnante enim illo, pax fuit in Iuda, annos triginta unum imperavit, pius & felix, is delevit idola, restituit veros Dei cultus, & Sacerdotum gradus officiaque. Templam quoque instauravit, & invenit librum Moyfi in Templo, què reproduci ac legi iussit. Quid mirus? Hic Rex est, & debet esse exemplar imitationis omnibus principibus ac magistratibus.

2. Exemplum pietatis.

*Chron.
chario.
li 3. pag.
560. &
561.*

Tiberius secundus, Constantinus ascitus ad Imperium, constantissimum in professione piarum Synodorum, se gessit, nec permisit turbari Ecclesiam; Justus fuit in gubernatione. placidus, & sine avaritiâ. Tributa quædam nova abolevit. Mul-

Multa distribuit ad alendas pauperes familias; sed Deus ei vicissim, & opes auxit, & victorias egregias donavit: Dum enim auream crucem marmori insertam in terrâ levare iubet, nolens eam pedibus calcari, magnos thesauros sub ea reperit. Ita Deus pios præmiis afficit.

3. *Exemplum Pietatis.*

Maximus nostræ religionis propugnator Stephanus, cum signa ac prodigia faceret in populo, infidelium in se invidiam concitavit. Conspirarunt omnes de synagoga libertinorum, ut inita cum illo disputatione fidem, quoquomodo possint, suggillant: nec tum resistere potuerunt sapientiæ & spiritui, qui in sancto loquebatur: et quem argumentis vincere non poterant, vi opprimunt, & lapidibus obruentes enecant: obstinatorum enim est cum ratione nequeunt, malignitate contendere: sed si fidelis cœlos ad se suspiciendum apertos vidit, quis dubitat quin infidelibus adeo deglutiendos aperiatur infernus?

*Marus.
lib. 2.*

Exemplum. 4.

Quantum pietatis in Impera: Antho-
nio pio cluxerit videre est, ex consi-

C

deratione mortis & commendatione filii. Biduo enim priusquā moreretur, admissis amicis, aperuit sententiam suam de filio eandem, quam Philippus de Alexandro, dicens, se æquo animo mori, cum filium relinqueret: rogatus itaque cui filium commendaret, vobis, inquit, si promeretur, & Diis immortalibus, favorem noluit suæ authoritati tribui, sed filii meritis alio quodam die dixit amicis, quid me fletis, ac non magis de communi morte pestilentiaque cogitatis? Philosophia docuerat hominem & mortem contemnere & res humanas ridere.

LIBRI PRIMI

Cap. 2.

De cultu divino interno & externo, id est de Religione.

Exemplum primum.

*Chron.
char.
lib. 2.
pagin.
181.*

Regnante Salomone veri manebant cultus divini: post mortem eius, dilaceratum est regnum populi Dei, & à
Iu-

Iudâ decem tribus avulsæ, quæ dilaceratio regni, bella civilia, novosque ac impios cultus peperit. Quia reges Samariæ contra legem divinam in duobus locis regni sui in Bethel & Dan. Vitulis aureis erectis sacrificandum constituerant, & sacerdotes eò attrahebantur mercede undique ex levissimis hominibus, addita sunt & ethnica idola, Baal & alia. Deus tum immensa misericordia in hoc impio regno excitavit excellentes prophetas, Eliam, Elisæum, Amos, Oseam & alios, per quos ecclesiam collegit revocatam ad veri Dei agnitionem, & ad veros cultus. Ita fuit Ecclesia sparsa etiam in regnum Samariæ, quanquam ordinaria gubernatio erat impia; sicuti nunc sub regno pontificio aliqui sunt rectè sentiētes, qui confessionem ostendunt, quorum alii plus, alii minus lucis habent.

Exemplum 2.

Veri cultus & conversionis habemus *Chron.*
 exemplum in rege Nabogodonosor, is *Char.*
 interfecit multos sanctos, deleverat templum, adorari statuas mandavit, coniecit in ignem viros sanctos taxantes impios cultus. Tanta delicta attraxerunt horribi-

Danie-
lis 4. ca. lem pœnam, à qua tum Deus eum prop-
ter preces sanctorum liberavit. Nam quã-
do Daniel ad ipsum dicit, peccata tua re-
move iustitia, & iniquitates tuas
beneficiis erga pauperes, & erit sanatio
delictorum tuorum. Hæc fuit sane regio
conciõ de toto decalogo: cumque no-
minabatur iustitia, comprehendebatur
vera agnitio Dei, agnitio promissi salva-
toris, & fides. Deinde præcipiuntur Na-
bogdonosori beneficia in gubernatione,
ut cogitet imperia à Deo esse constituta,
ut foveant societatem legitimam, in pri-
mis ut oppressæ ecclesiæ opem ferant. Et
hæc est vera descriptio cultus divini.

Exemplum 3.

Brun.
fulg.
lib. 1.

NOtanda est admirabilis Imperatoris
Theodosii religionis observantia,
qui ab Ambrosio Mediolanensi episcopo
publice prohibitus templo, nisi antea pro
innoxio sanguine, quem hinc inde fufe-
rat, Deo palàm satisfaceret eam notam,
patienter, humanèque tulit princeps, ne-
que ante templum redire est ausus, quam
iis, quæ ab Ambrosio ad criminis emen-
dationem iniuncta erant, peractis. Discât
nostræ ætatis homines revereri mini-
strum

strum quem princeps terrarum dominus
tam humiliter tulit. Etenim victoriarum
plenus, cum lachrimis ante Ambrosii pe-
des provolutus est.

Exemplum 4.

Silentio prætereundum non est Ale- *Bapt.*
xandri severi Romani principis religi- *fulg.*
osum verbum: qui, cum eius tempori- *lib. 1.*
bus Christiana fides iam invaluisset, &
Christiani publicum quendam locum
orandi gratia occupassent, contra autem
cauponæ quidam gentiles ante suum ef-
se contenderent; Alexander audita con-
troversia respondit; quoquomodo esset
satius esse in eo loco Deum coli, quàm
cauponas exerceri: verbum crede tanto
principi dignum.

Exemplum 5.

A Laricus Gothorum rex barbarus, in- *Brut.*
tra bella atque extra omnem religio- *fulg.*
nis cultum enutritus, cum in Italiam *lib. 1.*
cum ingentibus copiis Honorio Impe-
ratorè venisset, ob Stiliconis perfidiam,
conversus ad urbem Romam, eamque
ingressus, priusquam militi urbis popu-
lationem permitteret, edicere iussit,
corpora bonaque eorum qui in Aposto-
lo

lorum templa se recipissent, salva fore, ostendit verus homo, nihil se pluris, quam religionem facere.

Exemplum 6.

*Chron.
chario.
li. 4. pag
147.*

LOtharius imperator bis duxit exercitum in Italiam. 1. rogatu Innocentii 2. Pontificis ut excitos contra eum tumultus in urbe Roma electione Anacleti sopiret: et postquam reduxisset pontificem, quem factio contraria urbe eiecerat, vicissim ab eo renunciatus est Imperator: sed vetera Imperatorum iura cum se repetiturum ostendisset, pontifice, ne id tentaret, deprecante, cessit persuasus S. Bernhadi, quem secum adduxerat, precibus seu religione, qua nihil in animis magnorum principum potentius est: sed nocuit plurimum Ecclesiae & Reipubl. hæc concessio: ac licet optimus princeps excelluerit sapientiâ, pietate, virtute, industriâ & felicitate, & Italiam beneficiis affecerit maximis, non tantum hæc à papistis tam celebrantur, quàm quæ in pontifices collocavit.

LIBRI PRIMI

Cap. 3.

De fato.

Exemplum. 1.

CÆsar Tiberius Nero addictus Ma- *Suet. in*
 thematicæ persuasionisque plenus, *Nero*
 cuncta fato agi. Tonitrua tantum præter *pag. 147*
 modum expavescebat: & turbatiore cœ-
 lo nunquam non coronam lauream ca-
 pite gestavit; quod fulmine afflari nege-
 tur id genus frondis. sed fato stoico illi
 non est inhærendum.

LIBRI PRIMI

Cap. 4.

De conscientia

Exemplum 1.

SVpra nominatus Vespasianus, dictus *Chron.*
 propter iustitiam & beneficentiam, *chario.*
 amor & deliciae generis humani, patrem *lib. 3.*
 viventem debita pietate coluit. Imperi *fol. 378.*
 um eius fuit incruentum, nec recepit ac-
 cusationem contra eos, qui dicebantur
 male dixisse Imperatori, inquit: Ego,

C s

cum nihil faciam dignum, propter quod contumeliâ afficiar, mendacia nihil curo. Hic princeps bonam habuit conscientiam.

Exemplum. 2.

priori contrarium.

IN Iuliano Apostatâ videmus: ille ostendit se hostem esse Christi, sævitiam exercuit in Christianos gladio, iſtylo & variis technis, bonorum & facultatum ereptione, palàm etiam exercuit magicas artes. Hæc scelera tristis exitus citò secutus est. Nam bellum gerens cum Persis in prælio vulnus in epate, accepit à milite, relatus in castra sanguinem cava manu excipiens sursum sparsit, clamans, vicisti tandem Galilæe. Hac voce emissa, quâ impiam suam voluntatem ostēdens, ingentemque fremitum & sensum pœnarum, est extinctus. O mala conscientia.

LIBRI PRIMI

Cap. 6.

De prudentia

Exemplum 1.

POpulum Burgundicum longe florentif-

*Com-
mine.
lib. 7.*

tissimum fuisse, sub tribus ordine principi-
pibus optimis & prudentissimis, inter
quos fuit Philippus Dux Burgundiae su-
pra 120. annos. Tandem vero Deum ex-
citasse eis alium, qui continuis bellis la-
boribus atque sumptibus eos exercuerit,
defatigarit & exhauferit.

Exemplum 2.

Legimus de Ludovico undecimo gal-
liarū rege, quod consilia audentiora re-
pudiavit, in eoque magna ipsius fuerit in-
dustria: nam ut lentus erat & timidior, in
arduis deliberationibus, ita quoque un-
dique se communiabat, ut vix unquam
falleretur, aut expectatione sua ca-
deret.

*Com-
mina.
lib. 3.*

Qui igitur iudicio valēt principes, sen-
tentias, in quibus inest temeritas & in-
considerantia, repudiant, in eoque sum-
ma prudentia utuntur.

Exemplum 3.

Scribunt de Scipione Nasica cum Ro-
mae occultè ageretur inter partes de
Chartagine funditus delenda, exieritque
ea consultatio in longam & difficilem
disceptationem, maiore portio Catone
censente Chartaginem delendam, ut Ro-
ma

*Sabell.
lib. 3.*

ma incolumis esset, multique pedibus
iere in eam sententiam: tum Scipio iden-
tidem testatus, viderent illi, qui tam cu-
pidè vellent Carthaginem excisam, ne
populus Romanus æmulæ & inimicæ
urbis metu liberatus, in domesticam la-
beretur discordiam. Quod malo multo
prius prospexit Scipio ac prædicavit: sed
fatali necessitati ire obviam non potuit.

LIBRI PRIMI

Cap. 7.

De usu quem acquirimus vel ex
visu, vel tractatu.

Exemplum 1.

Philippus Comminæus eques ac hi-
storicus elegantissimus, scribens de se
ipso, in hæc prorupit verba. Quantum
longotærum usu potui cognoscere, qui
iam per annos duo de viginti versatus
sum in maximis regum negotiis, equi-
dem sic arbitror, quidam & vitæ diutur-
nitate, & robore corporis multo sumus
inferiores præcis illis hominibus, ita
quoque ab ipsorum fide & integritate
permultum & nos degenerasse, vix enim
est

est ut providere sibi aliquis diligenter
satis possit, quo minus fallatur.

Exemplum. 2.

Theopompus dicere solebat, eum qui-
dem optimum rerum bellicarum
scriptorem esse, qui quam plurimorum
certaminum civilium, particeps fuerit, &
quam plurima etiam pericula coram ex-
pertus sit. Innuere autem noluit, cum
tantum revera esse bonum historicum,
qui de iis scribat rebus, quibus ipse inter-
fuit.

LIBRI PRIMI

Cap. 8.

De memoria id est de
historia.

Exemplum primum.

Rex Aragonum Alphonsus, Capuæ *Panor.*
laborans adversa valetudine, medicis *de reb.*
varia adhibentibus med. camenta in gra- *gest. Al-*
vissimo: Quinti Curtii historias de rebus *phons.*
gestis Alexandri magni scriptas, legere
cœpit, cuius lectione delectatus cum
omnem morbi improbitatem superasset
sanitati restitutus: valeat inquit Avicēna
valeat Hyocrates, aliique medici, & vi-
vat Curtius sanitatis restitutor.

Exemplum 2.

Plutar. in graecor. Apoph. & laert. lib. 3. cap. 5. **R**egem Ptolomæum Demetrius Phaleræus admonere solebat, ut sibi pararet libros, de regno, deque militari imperio gerendo tractantes, eoque evolve-
ret; propterea, quod ea de quibus amici non audent adhortari reges & magistratus in libris scripta habeantur.

Exemplum 3.

Erasm. lib. 8. Apoph. **C**lunius historiographus sic affatus est Virgini, cuius res gestas attigerat: scis Virgini, quæ fides historiæ debeat: proinde si quid in historiis meis aliter legis ac velles, rogo ignoscas. Ad hæc Virginius: at ô Cluni, tunc ignoras idcò me fecisse, quod feci, ut esset liberum vobis scribere quæ libuisset? vox excelsi animi testis, & rectè factorum conscientia contenti.

Exemplum 4.

Sabell. lib. 10. **O**E Nipodes cum videret adolescentem multos libros conquirere, dixit non cistæ, sed pectori: sensit autem non eruditos esse eos, qui librorum copiam habent, sed ex libris omnia in memoriæ thesaurum reponunt.

E.

Exemplum. 5.

Maxima admiratione dignus My- *Sabell.*
 thridates Rex ponti, quo nullus Re- *lib. 10.*
 gum diutius graviusque exercuit Roma-
 na arma ; fertur is, duabus & viginti di-
 versis nationibus, quibus imperabat, sua
 cuique lingua jus dicere solitus, & pro
 concione singulas sine interprete
 affari: tantâ Rex ille valebat
 memoriâ.





LIBRI SECUNDI

Cap. 1. usque ad caput 7.

De Imperio sive principatu
& Regno.

Exemplum 1.

*Bruson,
lib. 3.
cap. 3.*

OTho Romanorum Imperator sæpè numero dicere solebat ad suos: Nescitis Amici quid sit. Romanorum gubernare Imperium mihi credite jam experto, qui jam mori malo, quam imperare. Adeo grave onus est, magnum tenere Imperium.

Exemplum 2.

*Dion.
Nicæus
in August,*

Cæsar Augustus admonebat Romanos, ut rempublicam committerent iis, qui usu & experientia rerum plurimum possent: Consulebat præterea, ut contenti rebus præsentibus, augere & dilatare imperium nollent: quia facile fieri possit, ut id tuerentur difficilius immineretque periculum ne ea quæ jam parata essent, amitterentur.

Ex-

Exemplum 3.

Sigismundus Romanorum Imperator, rogatus, quem virum regno dignum aptumque existimaret, cum inquit quem neque secundæ res extollerent, neque adversa deprimerent. Idem porro dicebat, cum regnandi artis imperitum esse qui simulare nesciret; quibus verbis indigitabat, multa Regibus simulanda esse, quo suos in debito officio retineant, extra omne vitæ periculum.

*Æneas
Sy'vi.
lib 4.
cōment.*

Exemplum 4.

Cyrus Rex Persarum bellicosissimus dicebat, neminem debere suspicere principatum, nisi esset melior his, in quos suspiceret impetum. Sensit vir prudentissimus, hoc esse principis munus, ut aliis prospiciat, & publicis commodis consulat. Id autem fieri minime potest nisi ab eo qui sapientia, vigilantia, animique integritate cæteris antecellit. Hoc vero non præstat nativitas, sed institutio recta, & rerum usus.

*Plutar.
in reg.
& im-
perat.
Apoht.*

LIBRI SECVNDI.

Cap. 7.

**De legibus subditis constituen-
dis ut & de exemplis
principum.**

*Exemplum 1.***De legibus.**

Solon Atheniensium legislator per-
contatus, quo pacto salva posset esse
respublica, respondit: Si Cives quidem
magistratui obediant, magistratus au-
tem legibus sensit vir prudentissimus,
eam Rempublicam minimè conservari
posse, ubi ex utraque parte legum sit ne-
glectus.

Exemplum 2.

*Laërt.
lib. 3.*

Plato Atheniensis, rogatus à Cyrenen-
sibus, ut ipsis leges scriberet, ac repu-
blicæ statum componeret, recusavit di-
cens: Perdifficile esse condere leges tam
felicibus; Indicans non facile obedire le-
gibus eos, qui nimium se felices esse pu-
tarent.

Ex-

Exemplum 3.

Spartana Civitas severissimis Lycurgi *Max.*
 legibus obtemperans aliquandiu Ci- *lib. 2.*
 vium suorum oculos à contemplanda A-
 siâ retraxit, ne illecebris ejus capti, ad de-
 licatius vitæ genus prolaberentur: Au-
 dierant enim lautitiam indè, & immodi-
 cos sumptus, & omnia non necessaria
 voluptatis genera fluxisse: ac minime mi-
 rum est, quod homines labore ac patien-
 tia gaudentes, tenacissimos patriæ ner-
 vos externarum deliciarum contagione
 solvi & hebetari noluerunt: cum aliquan-
 to faciliorem virtutis ad luxuriam, quam
 luxuriæ ad virtutem transitum viderent.

Exemplum 4.

A Masis Ægyptiorum Rex legem con- *Guido*
 didit erga suos, ut quisque quotannis *exem-*
 apud præsidem vitæ rationem redderet, *plorum*
 & demonstraret unde viveret, aut quo *libro.*
 quæstu sustentaretur: Qui verò id non fa-
 ceret, morte statim afficeretur: quam le-
 gem Solon ab Ægyptiis ad Athenienses
 transtulit,

Ex.

*Exemplum 5.**Guido
exem-
plorum
libro.*

Lycurgus lege perpetua sanxit, nuptiis puellas, sine dote dari, ut neque ob egestatem sine viris ullæ dimitterentur, neque propter opulentiam expeterentur: sed quisque potius spectato puellæ ingenio ac moribus in capienda uxore moveretur. Idem cum nubendi tempus, certum statuisset, tum muliebribus, tum etiam viris, ad eum, qui hujusce rei causam quæreret, respondit, ut partus geniti valentiores essent.

*Exemplum 6.**Idem
Guido.*

Idem Lycurgus lacedæmonum legislator pueros impuberes, non in forum sed in agrum deduci præcepit, ut primos Annos non in luxuria, sed in opere & laboribus agerent; demum eis nihil somni causa substernere, vitamque sine pulmento degere, neque prius in urbem redire, quam viri facti essent.

LIBRI SECVNDI

Cap. 9.

De justitia Magistratus.

Exemplum 1.

T Rojanus Cæsar, justitiæ & æquitatis
 amantissimus, talem Imperatorem
 privatis & civibus se esse dicebat, qualem
 sibi ipse Imperatorem privatus optasset.
 Ideo aliquando ensẽ strictum præfecto
 urbi in conspectu omnium dedit ac dixit:
 Cape ferrum hoc, & si quidem rectè Im-
 perium gesserõ, pro me; sin aliter contra
 me hoc utere.

*Nicet h.
 callistus
 lib. 3. ca.
 23. Hi-
 stor. Ege-
 cles.*

Exemplum 2.

D E Agefilao lacedæmoniorum rege
 memorabilem legimus Historiam,
 nam cum aliquando fuisset interroga-
 tus, utra virtus esset præstantior, forti-
 tudo an Justitia? gravitè respondit, forti-
 tudinis nullum esse usum, nisi adsit ju-
 stitia, quod si omnes essent Justi, nihil o-
 pus fore fortitudine, Quo responso nihil
 præ-

*Plutar.
 in La-
 con.*

præter æquum faciendum ubique putavit.

Exemplum 3.

*Sabell.
lib. 4.*

A Ristides Atheniensis ob insignem justitiæ opinionem justus cognominatus, universæ gratiæ populis censum descripsit, tantaque æquitate & justitia, ut græcorum felicitas sit dictus, & quæ cum tulitætas, aurea sit appellata.

Exemplum 4.

*Baptist.
fals. lib.
6.*

A Ntiochus tertius, Asiæ Rex, omnibus regni sui urbibus scripsit, si quid in literis, quæ ejus nomine scriberentur, esset, quod legibus adversum videretur, crederent ignaro se ejusmodi literas scriptas fuisse: & propterea eis non parerent. Sanctissimum profectò verbum, & justo regi maximè conveniens.

Exemplum 5.

*Baptist.
fulgos.
lib. 6.*

I Oannes Dynus, Ioannem Costanum Burgundionem accusavit, compellatum se ab eo dicens, ut accepta grandi pecuniâ, venenum perferret, quo Carolus Charolois Comes Philippi Burgundiæ du-

ducis filius, de medio tolleretur: is Comes posteaquam Costanum securi percussit, Dynum quoque ad se vocatum interrogavit, si Costanus pecuniam, quam promiserat, præstitisset, eum ne accusaturus fuisset? Cui Dynus ne mentiretur, fretus quoque indultum iri, palàm falsus est, non detecturum. Quamobrem Comes iussu Dynum Christiano more sacerdoti crimina sua fateri. Eadem horâ ipsum quoque securi percussit. Iustâ neque tardâ mercede ei data duarum proditionum, quas & in amico & domino suo simul patriarat.

Exemplum 6.

Nihil illis etiam justitiæ exemplis fortius. Zeleucus urbe locrensium à se *Max. lib. 6.* saluberrimis atque utilissimis legibus munita, cum filius ejus adulterii crimine damnatus secundum jus ab ipso constitutum, utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris necessitatem poenæ adolescentulo remitteret aliquandiu repugnavit: Ad ultimum precibus populi evictus, suo prius, deinde filii oculo eruto, usum utrique videndi reliquit. Ita debitum supplicij modum *legi*

legi reddidit ; Æquitatis admirabili temperamento , se inter misericordem patrem & justum legiflatorem partitus.

Exemplum 7.

*Sabell.
lib. 4.*

DE Romano populo: servavit Capitolium Marcus Manlius, sæpius in acie stetit, pro patria strenue dimicavit, accepit adversa vulnera, Cives servavit, præmia tulit, & in toga multos alieno levavit ære: est nihil osecius populi suffragiis damnatus, quia supra fortunam privati Civis aliquid optare crederetur. Adeo nullum Civem ab initio ferre potuit Romanus populus, qui legibus, cum esset opus, cogi non posset.

Exemplum 8.

Erasm.

*Rot. lib.
4.*

*Apopht.
explu-
zarch.*

*Reg. &
Imp.*

Apopht.

ANtigonus Rex quodam dicente omnia regibus honesta iustaque esse: Sunt per Iovem, inquit barbarorum duntaxat regibus. At nobis ea duntaxat honesta sunt. Non enim Rex est honestus iustusque regula, sed honestus iustusque minister. Atque utinam similes voces non audiant Christianorum aures, aut si audiant simili severitate

tate reiiciant, Quid enim aliud dicunt
qui occinunt: Quod principi placuit, le-
gis vigorem habeat; qui negat principem
teneri legibus: Qui tribuunt illi gemmi-
nam potestatem ordinatam & absula-
tam, quatuor altera possit quod leges pacta,
pacta & foedera postulant, altera quod-
cunque libuerit.

LIBRI SECVNDI

Cap. 10.

Quod tractat de clemen-
tia & humanitate.

Exemplum 1.

CUM aliquando Imperator Aurelia-
nus venisset Tyanam, eamque clau-
sam reperisset, dixit: Canem in hoc oppi-
do non relinquam. Hac voce milites sunt
erecti in spem praedae. Urbe autem capta,
militibusque ex Caesaris promisso direp-
tionem opid flagitantibus, respondit a-
gite, canem dixi me non relicturum, ca-
nes omnes occidite: & sic suae promissio-
ni satisfecit, clementerq; hostes suos tra-
ctavit.

*Flavio-
us Vo-
piscus.*

Ex-

Exemplum 2.

*Eras.
lib 8.
Apophl.*

Theodosius iunior rogatus, cur neminem eorum, à quibus lædebat, supplicio capitis afficeret? utinam inquit, in hi liceret mortuos ad vitam revocare; ad privatas iniurias oportet principem esse facilem ad ignoscendum: in eos, qui lædunt Rempubl, decet esse severum.

Exemplum 3.

*Plutar.
in Apo.
regum
& im-
perat.*

Antigonus Rex Macedoniæ cum ab initio regni durior esset, senex iam factus, clementer & placid regnum administravit; verum cum morum mutationem mirarentur subditi respondit, prius opus regno, nunc gloriâ & benevolentia, qua regnum recuperatum conservatur.

Exemplum 4.

*Bapt.
fulgos.
lib. 5.*

Insigni clementiâ usus est Philippus rex Macedoniæ erga Nicanorem, qui omnibus in locis quantum poterat, Philippum ciminabatur. Nam cum Synicius alique Philippi amici suaderent, ut
in

in eum Rex animadverteret, recusavit illud Philippus dicens, haud malum esse virum Nicanorem sibi persuasum esse. Cum igitur inopiam ejus nosset, dono ei pecuniam misit, post quod factum cum à Synicito moneretur, Nicanori non criminari ut ante, sed Regem laudibus efferre, Philippus Synicito fertur dixisse. nunquid non vides in manu nostra esse, ut quæ volumus, à populis de nobis, audiamus.

Exemplum 5.

Summa clementia usus est Justinianus *Idem*
 in Vigitem Gothorum Regem populi *lib. 5.*
 Romani acerbum hostem, cum à Belligario captivus Constantinopolim missus fuit, quoniam non ut hostem captivumque sed ut amicum habuit, patritia enim dignitate decoratum, magnæ cum provinciæ Persis finitimæ præfecit, ubi honoris & opum plenus aliquod tempus vixit.

Exemplum 6.

Plilstrati Atheniensis Tyranni uxorem *Idem*
 publice convitio Juvenes quidam in- *lib. 5.*
 cessant, qui cum postridie errorem suum agnovisset, & præ formidine profusus

D

lachrimis veniam à Pisistrato peterent, ipse nequaquam ad iram aut ultionem animo permotus, respondit, imposterum modestiores estote; Quanquam uxor mea sicut nos arbitramini, hesternae die domum egressa non fuerit. Verbo in quo non minus prudentiae fuit, Juvenum errorem, & illatum uxori dedecus texit.

Exemplum 7.

*Idem
lib. 5.*

Periculis quoque Atheniensis humanitas ac clementia insignis fuit. Qui cum longo tempore Athenas arbitratus suo in multis civium contentionibus rexisset, & jam haud longè abesset, ut moreretur, nec vires modò verū etiam sensus penè eum defecissent, contigit, ut inter amicos, qui in lecto jacenti, astabant, de eius victoriis atque eloquentia, quae in eo mira fuit, mentio haberetur, eamque seu admiratione capti, laudibus efferebant. Haec autem cum ipse audiret, apertis oculis aliquantisper mixus ut loqueretur, mirari se dixit, quod victorias eloquentiamque in eo laudarent, quod earum rerum, partem fortuna sibi vindicabat; ipsos quidem potius laudare debere, quod cum longo tempore Athenas rexisset, nemo in eius causa lugubrem vestem unquam induerat.

Tit. 2.

Exemplum 8.

Parthorum Rex Artabanus principum Regni sui conjuratione pressus minimè se in eo posse tutò manere arbitrabatur, & cum vires, ut principes ad officium cogeret ei deessent, ad Jazatem Adiabenorum Regem, & si ei notus non erat, conferre se decrevit. Itaque dum ad eum tendit, incidit in ipsum per regnum abequitantem: Ut eum vidit, ab equo statim descendit, expositoque casu suo rogavit, ut ope se ad petendum regnum juvaret. Cum Jazates eum agnovisset, ipse quoque in terram ab equo descendit, coactumque Artabanum in equum conscendere pedibus eum prosequi volebat, quod ætas ipsius præteritaque fortuna plus, quam præsens necessitas, apud se valeret. Deductum igitur in regnum amicè Artabanum solatus est, & ceu parentem semper in honore habuit: sumptis denique armis in regnum quoque restituit.

*Idem
lib. 5.*

Exemplum 9.

ET humanum & clementem profectò multum se Furius Camillus ostendit, cum capta Vejetium urbe arcem conspi-

*Idem
lib. 5.*

caretur, à Romano exercitu eam diripi. Nam quanquam sciret Veientes populo Romano graves fuisse hostes: tamen ex his humanos repetens casus, lachrimas continere non potuit.

Exemplum 10.

*Idem
lib. 5.*

HUMANUM generosamq; Myhtridatis Regis factum, quo usus est cum Thoridoracem gallatam, qui in ipsum conspiraverat, occidi jussisset. Nam venientibus omnibus eum sepelire, adulescentula insignis, quæ eum deperibat, ut sepeliret corpus exoravit. Cum autem ab ea Mythridates (deducta enim ad ipsam fuerat) intellexisset, amore captam illud egisse, non modò ejus, quem amaverat, corpus illi ad sepulturam concessit, verum ut funus quoq; exornaret, pecuniã impendit. longe enim plus hoc veri amoris humaniq; ingenii signũ in puella, quam illatam sibi à Thoridorace injuriam fecit.

Exemplum 11.

Humanitatis.

*Eras.
lib. 6.*

Apoph.

EXemplum egregium humanitatis in Anthonio pio Imperatore, cum enim fletet educatorem suum mortuum, & ad-

do-

dolescens ab Aulicis ministris revocaretur à declaratione pietatis erga nutricium, permittite inquit, Anthonis, pius illi ut homo sit, neque enim vel philosophia vel imperium tollit affectus.

LIBRI SECUNDI

Cap. II.

1. De fide seu integritate animi

2. De modestia 3. De temperantia.

Exemplum 1.

De integritate.

Alphonfus Arragonum Rex, de etiam *Panov. supra* plerumque in amore habuit dicere, tantum valere ad fidem debere principum verbum simplex, quantum privatorum hominum iusiurandum: Turpissimum enim esse fidem fallere, in regibus vero longè turpius. *lib. 1. de reb. gest. Alphon.*

Exemplum 2.

Modestiae.

Alexander Rex Macedonicus, videns divinos sibi tribui honores, vulnera- *Plutar. in reg. ex. im- perat. Alphon*

eus in bello ait: cur me Deum vocatis, qui me videtis sanguinolentum ac vulneratum, sentiens Rex modestus humanam in se imbecillitatem, ideo tam modestè de se ipso loquutus.

Exemplum 3.

Modestiae.

*Erasm.
lib. 6.
Apophth.
pa. 490.*

TAm modestus Maximinus senior Cæsar nunquam fuit, ut nunquam ad oscula pedum quenquam admiserit, dicens, Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat. Cum interim sint, qui nō solum ingenuos, verum etiam summos Monarchas ad oscula non pedum, sed calceorum, non dicam admittant, sed invitant, & quodammodo cogunt?

Exemplum 4.

Temperantiae.

*Sabell.
lib. 4.*

NUnquam in convivio Clytus periisset, si Alexander Magnus tam vini temperans fuisset, quam veneris: quippe qui cum Darii hostis conjugem omnium foeminarum quæ ætate illæ fuerunt, pulcherrimam filiasque virgines cum castris cepisset, tam sancte eas vidit, ac penes se ha-

habuit, quam sorores ac filias: Ac postremo victoriam adeptus, filiarum unam matrimonio sibi junxit, non libidinem (ut credere est) sed officium secutus.

Exemplum. 5.

De modestia.

FRidericus Romanorum Imperator, *Æneis*
 rogatus quinam sibi charissimi essent? *Sylvi.*
 Qui inquit me non magis quam ipsum *lib. 4.*
 Deum timent, deprompta sanè ex Chri- *cōment.*
 stiano pectore sententia: Im primis enim *de reb.*
 timendus Deus, Rex Regum, & Domi- *gest. Al-*
 nus Dominantium, qui moderatur Cœ- *phons.*
 lum & totum terrarum orbem, in suaque
 potestate habet perdere vel servare quem-
 cunque vult.

LIBRI SECUNDI

Cap. 12.

Quod agit de 4. Virtutibus ma-
 gistratu seu principe dignis 1. De
 liberalitate seu beneficentia. 2.

De castitate. 3. De ira fu-
 gienda. 4. De fama
 bona.

D

Exemplum 1.

De liberalitate.

*Suet. in
vita e-
jus.* **V**espasianus Imperator, de quo etiam
suprà lib. 1. super coenam aliquando
recordatus, quod eo die nemini quicquã
præstitisset, memorandam illam vocem
edidit: Amici diem perdidit. Laudanda
certè principis beneficia tam peculiaris
qui omne tempus se perdidisse putabat,
quod amicis benemeritis suum non
præstitisset officium.

Exemplum. 2.

Beneficentiæ.

*Plutar.
in reg.
Apoph.* **O**currens Alexandro Magno Taxiles
unus è numero regum Indiæ sic il-
lum affatus est, provocate inquit, non ad
pugnam neque ad bellum, sed ad aliud
certaminis genus; si inferior es, à nobis
accipe beneficium; sin superior, nobis be-
nefacito: Cui Alexander, atque inquit, ob
hoc ipsum inter nos certandum est, uter
benefaciendo superet alterum. Et huma-
nissimè complexus illum, non solum
non spoliavit ditione sed auxit etiam.

Ex

Exemplum 3.

Beneficentiæ.

DEscriptum habebat Alexāder severus Imperator : quid cuique ministro præstitisset : qui nihil aut nimium petissent , eos appellabat , dicens , quid est cur nihil petis ? An me tibi vis fieri debitorem ? pete ne privatus de me queraris , agnoscebat principem debere recte suo fungentibus officio : Nec æquum iudicabat , ut probe suo defunctus officio , privatus egeret.

Exemplum 4.

De castitate.

Cyrus Rex Persarum abstinerebat à cō- *Erasm.*
spectu Pautheæ , & Araspo dicenti , *lib. 5.*
mulierem esse insigni forma , dignam *Apopht.*
Regis oculis ; ob istud ipsum inquit magis est ab illa abstinendum. Etenim si nunctuo obtemperans consilio illam audiero cum vacat , fortassis illa mihi persuasura est ut ad ipsam frequenter com- meem etiam cum non vacabit Eique as- fideam neglectis seriis negotiis. Scite re- torisit argumentum , regiæ functionis memor.

D S

Exemplum 5.

De castitate.

*Bapt. in
fulg.
lib. 4.*

Memorabile castitatis exemplum, proponitur Franciscus Sfortia Princeps illustrissimus, cum Florentini populi copiarum Dux esset, quidam milites insigni forma puellam captivam ducebant, clamantem, ut ad primarium ducem deduceretur ad eum perducta, interrogante Francisco Sfortia, quamobrem ad se venire cupiisset, respondit, ut ejus voluntati obsequeretur, modò incolumem eam à militum injuria servaret. Cum forma insignis videretur, & ætatis flos ipse esset, parum se erraturum Franciscus putavit, si volente potiretur. Itaque in lectum eam noctu secum adhibuit: & cum appropinquare eamque complecti vellet, puella lachrimarum plena, rogavit, per famam, quæ de ipsius bonitate apud omnes erat, ne eam virginitatis honore privaret: sed marito intactam potius restitueret, qui cum aliis captivis in vinculis custodiebatur; Adco ingens Francisci continentia fuit, ut quanquam & formosam & puellam in bello captam, nudam prope se in lecto sentiret, pudicitia ejus conspecto studio, statim lecto pro-

prosiluerit, adjurans nihil cum eâ sibi fu-
isse; licet nihil profus erat, quod cum ab
explenda cupiditate, nisi abesset, neq̃ boni-
tas ob ullam metus suspicionem conti-
nere deberet.

Exemplum 6.

De castitate.

Dionysius Imperator, cum intellexisset *Erasm.*
filium cui principatum relicturus e- *lib. 5.*
rat, ingenui viri conjugem adulterasse, *Apopht.*
iratus interrogavit, an unquam tale quic-
quam in patre comperisset. Hic adoles-
cens, tu enim, inquit, nō habebas patrem
Regem. Nec tu, inquit, Dionysius, filium
Regem habiturus es, in talia perpetrare
desinas. Tyrannus in filio dignum exhæ-
reditatione crimen judicabat, adulteri-
um, qui hodie magnatum ludus est.

Exemplum 7.

De ira fugienda.

Aristoteles Alexandrum magnum, ira *Ælian.*
commotum placare studens, hæc ad *lib. 2.*
eum scripsit: Ira & indignatio non in pa-
res, sed in meliores existere solet: tibi ve-
ro nemo par est.

Exemplum 8.
De fama bona.

*Erasm.
lib. 3.
Apoph.
pag. mi-
hi 103.*

SOcrates, unus ex sapientibus, rogatus quo pacto quis posset honestam assequi famam, si talis, inquit, esse studeas, qualis haberi velis. Veluti si quis bonus Medicus haberi cupiat, ea præstet oportet, quæ à probatis Medicis fieri viderit. Nam qui medendi est imperitus, non ideo Medicus est, quod pro Medico ascitus est, & vulgo Medicus appellatur: Ita non statim princeps est aut Magistratus, qui populi suffragiis declaratus sit, nisi sciat artem gubernandi civitatem.





LIBRI TERTII

Cap. 2.

Nam de i. cap. quod agit de prudentia supra dictum est.

Exemplum. 1.

De consiliariis in genere.

Homulius senator romanus optare *Bapt.*
 solebat, potius malum Principem, *fuig.*
 qui bonos haberet cōsiliarios ac amicos, *lib. 7.*
 quam bonum, qui malos haberet consiliarios, qui rerum administrationem committeret; putabat enim facilius, ut à multis bonis, unus malus ad saniora duceretur, quàm ut ab uno bono multi à malitia averterentur.

Ex.

Exemplum 2.

De consiliariorum virtute in specie, nimirum de libertate loquendi in Senatu.

FRidericus imperator optabat, ut aulici consilarii iudicaturi de rebus propositis duas res ante pallatium in vestibulo deponerent, simulationem videlicet & dissimulationem: quod docent quoque prudentissimi Veneti illustri exemplo alios: dum solent ante vestibulum Curie privatos effectus apud S. Marcum deponere.

Exemplum 3.

De libertate loquendi.

Demades orator cum vidisset Philip-pum multo vino madidum cum amicis saltantem, regem accedens ait: Non pudet te, ô Rex cū fortuna tibi Agamemnonis personam indueret, te factis agere Thersitem? fuit autem Thersites omnium græcorum deformosissimus.

L I.

LIBRI TERTII

Cap. 3.

Quod agit 1. De discordia. 2. De
avaritia.

Exemplum. 1.

De discordia.

Alphonfus Arragonum Rex sæpenu- *Panor.*
mero dicere solitus est, si Romanis *lib 3.*
temporibus vixisset, se constructurum *de reb.*
fuisse templum Iovi positorio, ut de re- *gest. Al-*
bus acturi in eo prius convenirent, & *phonfi.*
contentionem omnem deponerent: In-
venit autem, nihilæque Reipublicæ ef-
se perniciosum, ac si plebis cum patribus
crebræ contentiones oriantur, hoc di-
ctum & ad consiliariorum concordiam
accommodari potest.

Exemplum 2.

De avaritia.

Alphonfus rex prædictus cum audi- *Panor.*
ret, Harpias rapacissimas aves, nescio *lib 1. de*
quas *reb gest.*
quas Alph.

quas inhabitare insulas : ad suos conver-
sus ait, ex his insulis in curiam Roma-
nam commigrasse Harpias compertum
est ubique iam domicilium constituisse.
Notavit autem tacitè Romanæ Curia
ingluviem, avaritiam & detestandam ra-
pacitatem, à qua illa maximè fuit alienus.

Exemplum 3. Avaritia.

Eras.
lib. 5.
Apopht **S** Emiramis Carum regina, quæ Babylo-
nem condidisse dicitur, monumento
quod sibi pararat inscripti, quisquis Rex
pecuniis eguerit, aperto monumento,
quantum voluerit capiat. Darius potitus
eâ civitate, titulo credens, saxum ingens
quo claudebatur monumentum, vix a-
molitus, nihil quidem invenit pecunia-
rum, sed ex altero saxi latere hoc inscri-
ptum reperit, ni vir malus esses, & pecu-
nia inexplebilis, haudquaquam mortuo-
rum loculos moveres.

Exemplum 4.

De avaritia.

Eras.
lib. 4
Apopht. **R** Vsticus quidam, quoniam gratuitam
libertatem suppliciter petens à Flavio
Vespasiano Cæsare repulsus est, non veri-
tus

tus est clare dicere, vulpes pilos mutat,
non mores: Exprobrans illi naturæ rapa-
citatem quasi mercede data concessurus
fuiſſet, quod gratuito negabat.

LIBRI TERTII

Cap. 4.

De Magistratu seu principe, quo-
modo ſe gerere debeat in
officio, & audiendis
conſiliis.

Exemplum 1.

De officio reſpectu Subdi-
torum.

TYberius Romanorum Imperator, *Brus. li.*
præſidibus onerandas tributo pro *3. CA. 13.*
vincias ſuadentibus reſcripſit: Boni pa-
ſtoris eſt tondere pecus non deglubere.

Exemplum 2.

De officio Principis.

PYthagoras ita imperandum eſſe Prin- *Stoba.*
ci- *ſerm.*

eipi dicebat, ut veneretur magis, quam metuatur. Reverentiam enim admiratio, Timorem odium comitatur: hinc Anarchesis bonum Principem iudicabat eum esse, qui non solus prudens sibi videretur, sed bono & iusto aliorum consilio lubens acquiesceret.

Exemplum 3.

*Eras.
lib 5.
Apoph.*

ANthiogus ille qui bis exercitum duxit adversus Perfas, cum in venatu, quodam feram insequitur, aberrans ab amicis in Casam pauperum, quibus erat ignotus, introit: atque inter cœnam iniecta mentione regis, audivit quod cætera quidem probus esset, sed plerasque virtutes mandarent amicis improbis, ipse ad eorum facta connivens: tum quod immodico venandi studio frequenter necessaria negligeret. Ad hæc tum temporis nihil respondit, nec quis esset prodit: verum ubi diluculo satellites venissent ad casam, iamque agnosceretur, allatâ pupurrâ simul cum diademate, age, inquit, ex quo vos indui, heri primum vera de me ipso audivi: nam ferè studio est his, qui vivunt in aulis principum, ne quid audiant, nisi blandum auribus.

Ex.

*Exemplum 4.*De honesto labore Prin-
cipis.

Florus hos versiculos scripsit in
Cæsarem.

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Seychicas pati pruinas.

Cui Cæsar respondit.

Ego nolo Florus esse.
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos,
Sentiens se honestas occupationes
præferre inutili turpique ocio.

Exemplum 5.

VT aula est res vetustissima: sic vetus
malum aulæ ac Reipubl: inesse adu-
lationem, rectè Tacitus dicebat; perpe-
tuum nimirum malum principum, quo-
rum opes sæpius assentatio quam hostis
evertit: & abundat omnibus rebus in
au-

aula principes, excepta veritate. quid Nero-
nem castissime educatum crudelem fe-
cit? adulatio. quid Cæsarem contra patri-
am rebellare fecit? adulatio. Quid Reto-
baam Tyrannum fecit? adulatio. In aula
igitur unus Clytus præferendus, sexen-
tis Aristippis. Et magistratus officium est
adulatores ex aula reuocare & ipsorum lo-
cum fideles recipere ministros.

Exemplum 6.

Quod imperare difficillimum
sit.

*Eras.
lib. 6.
Apoph.*

Diocletianus adhuc privatus dicere so-
litus, nihil esse difficilium quam bene
imperare: colligunt, inquit, se quatuor
aut quinque simul consilium ad decipi-
endum magistratum capiunt, dicunt
quid probandum sit: imperator seu ma-
gistratus qui domi clausus est, vera non
novit, cogitur hoc tantum scire quod illi
loquuntur: facit iudices, quos fieri non
oportet: amovet à republ. quos debebat
retinere. Ita, dixit, Diocletianus, bonus,
cautus, optimus venditur imperator.

LIBRI TERTII

Cap. 5.

De Iudicibus ac Mini-
stris.

Exemplum 1.

De Iudicibus.

Alexander Macedo cum initio in cau- *Plutar.*
lis capitalibus, sedere iudex accusatori
alteram aurem occludebat: rogatus cur
id faceret? alteram integram seruo reo.

Exemplum 2.

De Iudicibus.

Ægyptiorum Reges, iuxta regionis illi- *Plutar.*
us consuetudinem, iudices ad iusiu- *in reg.*
randum adigebant, ut & iam si quid rex *Et Imp.*
iuberet eos iudicare quod iustum non es- *Apoph.*
set ne iudicarent. Tanti referre putabant,
ut populus iustos haberet iudices: Atque
qui fieri potest, ut civitas iudices habeat
incorruptos, ubi iudicandi potestas mag-
no vendatur precio.

Ex-

Exemplum 3.

De iudicibus.

Plutar. **P**hilippus Macedo, Machetæ cuiusdam pro tribunali sedens, causam cognovit sed dormitabundus, nec satis attentus, ad iuris æquitatem. Itaque sententiam tulit adversus Machetam verum cum is exclamasset, se ab ea sententia appellare: rex iratus, ad quem, inquit, (nam appellandi verbum monarchis est iniustum) ad te ipsum ô rex, inquit, Machetas, si expergisca- ris & attentius audias causam. Ac tum quidem surrexit rex: Ceterum postea- quam causam apud se melius perpendisset, intelligeretque Machetæ factam iniu- riam iudicata quidem non rescidit, sed pecuniam, qua damnatus fuerat Machetas ipse persolvit. In uno facto, quod re- giæ virtutis argumenta non perseveravit irasci & provocanti, & somnolentiam publicè abiicienti, sed per otium rem suam cum animo accuratius consideravit iam ab ira liber.

Exemplum 4.

Eras.
lib. 6.
Apopht. **D**esignavit Alexander severus, Asses- soribus sua salutaria, quamquam dicebat

cebat illos potissimum promovendos, qui per se republ. gerere possent, non per assessores. Vnumquemque hoc agere debere non nosset. Prudentissimus juvenis sensit, hoc esse præcipuum huius omnium rerum publicarum, quod omnia munia per vicarios administrantur, interdum alteros ac tertios. Præfectus urbis habebat vicarium, & is vicarius rursus alterum vicarium, & hic rursus alium: ac frequenter is qui honore & salario fititur, minime omnium idoneus est ad functionem obeundam. Annotent hoc principes, qui subinde coguntur exactio- nibus gravare populum.

Exemplum 5.

ET urbem & provincias & aulam su-
am imperat: Alexander severus pur-
gavit hominibus non necessariis, dicens,
malum pupillam esse imperatorem, qui
ex visceribus provincialium homines
non necessarios, nec rei publ. utilis aletet.
Hinc de ipso scribitur quod in templis
argenti minimum, auri ne guttulam qui-
dem posuerit, subinde repetens illud
Persianum, dicite pontifices, in sanctis
quid facit aurum? ex quo apparet illum su-
pervacua officia ut & luxum superfluum
non tulisse.

*Eras.
lib. 6.
Apoph.*

Ex.

Exemplum 6.

De iudicibus.

*Plutar.
in reg.
Apoph.*

Philippus Macedonum rex, quondam ex antipatri amicis in iudicum numerum ascripserat, verum post ubi cognovit illum fingere barbam & capillos, submovit eum dicens: qui in capillis fidus non esset, eum in rebus gerendis non videri dignum cui fideretur. Et hanc oportet regum ac principum præcipuam esse curam, ut cognoscendis causis viros præficiant incorruptos: Id qui fieri potest, ubi venduntur iudicanda munia, & is designatur iudex, non qui vir melior est, sed qui ad dandum prior aut largior?



LIBRI QVARTI

Cap. 3.

De vi. nam de 1. & 2. capite quæ
agunt quoque de prudentia
ut & Religione, supra non
nihil dictum est.

Exemplum 1.

De vi quæ firmat Regnum.

CUM Argiri deditiois finibus am- *Plutar.*
bigerent cum Lacedæmoniis, assue *in laert.*
veruntque se justiore[m] habere causam,
Lysander stricto ense; qui hoc, inquit, su-
perior est, is optime de finibus disputat;
ab æquo & bono vir insolens ad vim pro-
vocavit, quod non est licitum.

Exemplum 2.

De vi.

CONFLAVIT Julio Cæsare magnam in- *Erasm.*
vidiam, quod quidam ex his, quos *lib 4.*
E. Apoph.

Romam miserat, stans in Senatu simulatque cognovit, Cæsari senatum non dare prorogationem, manu capulum percutiens, at hic inquit dabit, vim reipubl. minitans.

Exemplum 3.

De Vi.

Plutar. **T**hemistocles cum apud Andrum argentum peteret: Duos inquit, ad vos adduco Deos, vim ac suasionem significans, si minus impetraret suadendo, se vi crepturum. At illi responderunt, apud se quoque duas magnas esse Deas, inopiam & impossibilitatem, per quas non liceret dare quæ peteret.

LIBRI QVARTI

Cap. 4.

De authoritate Magistratus
& benevolentia subditorum.

*Plutar.
in Ro-
man.
Apoph.*

Exemplum 1.

CÆsar Augustus, cum juvenes nobiles ac dignitate claros inter se tumultu-
lan-

lantes vellet compescere, nec auscultarent illi, se tumultuari pergerent: Audite inquit iuvenes senem, quem iuvenem senes audierunt. Augustus enim adolescens ad rempubl. admotus est, summaque fuit autoritate: hac sola voce illos coercuit, nec aliud supplicium ob concitatum tumultum exegit.

Exemplum 2.

Idem Augustus indigne ferebat, aliquid de se componi nisi serio & à præstantissimis, admonebatque prætores ne paterentur nomen suum commissionibus minorum aut histrionum obsolescere: Hac quidem parte Alexandrum magnum referens. decet enim ubique principis autoritas & sartam tectamque præstare.

Exemplum 3.

De autoritate Magistratus.

Cum militis Anthoninum Caracal- lum Imperatoris severi filium, rem consulatissent, eo quod pa- ter pedibus æger bellum morare- tur, iussit se deferri ad Tribunal simulque adesse omnes Tribunos Cen-

E. 2.

*Suet. in
Caesarib.*

*Erasma.
lib. 6*

*Apopht.
pag. mi-
bi. 422.*

turiones, duces & cohortes, quibus authoribus hoc acciderat, sisti deinde & filium qui Augusti nomen non recusarat. Hic cum in omnes ejus facti authores jussisset animadverti, excepto filio, omnesque ante tribunal prostrati rogarent veniam, Severus manu caput contingens, tandem, inquit, sentitis caput impetare non pedes.

Exemplum 4.

De benevolentia subditorum.

Pancr.
lib. 2. de
reb. gest.
Alph.
Er. Eras.
lib. 4.
Apopht.

ANtigonus Macedoniae Rex amicis suadentibus, ut si Athenas caperet, validis illam praesidiis committeret, ne quando deficeret, respondit se semper in ea fuisse opinione ut crederet nullum esse Regnum firmius praesidium, quam civium benevolentiam. Idem ferunt Alphonsum Aragonum Regem dixisse, cum argueretur, quod pro more, nullis stipatus armatis, solus obambulare, Regiae Majestatis immemor, respondit, non opus esse ut is timeat, qui civium suorum benevolentiam satis perspectam habeat.

Ex.

Exemplum 5.

Benevolentiae.

DArius Rex cum tributum indixisset, accersitos, provinciarum praefectos percontatus est, cum aliis de rebus tum de tributis, essentne gravia, cum ille respondissent esse mediocria iussit ut singuli dimidium exigerent. Quod praefectis moderatum videbatur, Regis aequitati visum est dimidio plus satis: maluit enim suos beneficio sibi conciliare, quam exarmatos subigere. Stratagematis autem gratia in hoc sita est, quod duplum imperavit ejus quod destinarat accipere, si dimidium imperasset, nec cuiquam remisisset, latuisset benignitas; Nunc exacta dimidians effecit ut omnes sentirent beneficium.

*Plutar
in reg.
Apoph.*

LIBRI QVARTI

Cap. 5.

Quod de 5. agit quae firmant Imperium 1. de severitate. 2. de opibus. 3. de Armis. 4. Consiliis. 5. de fortuna.

E §

Exemplum 1.

De severitate.

Eraj. lib. 1. **A**gesilaus magnus ille Lacedæmoniorum Rex, aliquando ad Macedonum

Apoph. Regem nuncios misit, rogans, utrum per hostium solum irent, an amicorum, Cum ille respondisset, se consultaturum, fiat inquit, igitur consultatio, nos tamen interim iter faciemus. Rex admiratus hominis audaciam, sibi que metuens, satius esse censuit illum ut amicū suscipere.

Idem Agesilaus, Thessalorum, qui hostibus tulerant suppetias, agros depopulatus est. Virtus sic erat æquitate temperata, ut nec amicos læderet, nec inimicis parceret, ubi fortuna dedisset ulciscendi occasionem.

Exemplum 2.

De opibus seu divitiis.

Plutar. in Laconicis, **A**lcamenem Telucris filium cum quidam objurgaret, quod tam parce frugaliterque viveret, cum tam amplissimas possideret divitias: Decet, inquit, eum qui multa possidet, pro ratione non pro libidine vivere, significans perniciosas

fas esse divitias, nisi adsit animus divitiis superior, qui possit earum usum non ex copia, sed ex necessitate moderari.

Exemplum 3.

De divitiarum usu.

Bon dicebat, divitias esse nervos belli *Laert.*
quia sine his nihil agatur, hinc cum *lib. 2. §.*
Aristippus reprehenderetur, quod pecu- *4. cap. 3.*
nias acciperet ab amicis, ait, se non ideo *§. 7.*
accipere ut uteretur ipse, sed ut illi disce-
rent, ad quas res utendum sit pecuniis:
Vulgus enim divitum aut in æquos, aut
in operosas structuras, aut in luxum per-
dit pecuniam, sed aliter intelligas dice-
bat; Aristippus non nisi ad vitæ necessa-
ria pecuniis utebatur. Talis divitiarum
usus maxime firmare solent ditionem si-
ve imperium.

Exemplum 4.

De severitate.

Cato senior censuram petens, cum *Erasm.*
cæteros competitores videret suppli- *lib. 5. pa.*
ces populoq; blandientes, ipse clamabat, *mibi*
populo opus esse medico austero validis- *429.*
que remediis pro in eligendum, non

qui jucundissimus esset, sed qui inexorabilis. Atque hæc dicens ante omnes censor creatus est. Agnovit populus morbum suum, eoque Cato plus valuit objugando quam cæteri blandiendo.

Exemplum 5.

De consiliis,

*Plutar.
in Laco-
nicis.*

LAcones, si quando stratagemate, hoc est callido consilio, superassent hostem, Marti bovem immolabant; sin aperto prælio, gallum hoc pacto consuefacientes belli duces, ut non solum fortes essent ad prælium; verum etiam callidis consiliis adversus hostem instructi. Præclarior enim existimabant, hostem ingenio citra sanguinem dejicere, quam pugna plerumque utrinque cruenta.

Exemplum 6.

De consiliis.

*Iul. Ca-
pito.*

ANtonius pius nihil solitus est agere nec in bellicis, nec in civilibus, de quo non prius conferret cum gravibus viris, dicens, æquius est, ut ego tot taliumque amicorum consilium sequar, quam ut
tot

tot talesque amici, meam unius sequantur voluntatem. Multum abhorrens à quorundam ingenio, qui consulto pileo suo dicunt; vos sedulo consultis, sed aliud mihi suadet pileum meum.

Exemplum 7.

De armis.

E Paminondas Dux Thebanus, cuidam nuncianti, quod Athenienses exercitum, novis instructum armis, in Peloponnesum misissent. Quid, inquit, nunc igitur gemit Antigenidas, si tellis novas habet tibias? Tellis autem erat tibi cen pessimus, Antigenidas optimus. Significabat Athenienses frustra novis armis instructos, cum his nescirent uti. Apparet inde etiã si princeps multa habeat arma, tamen si subditi iisdem uti nescirent, ad firmandum imperium parum facere.

*Erasm.
lib. 5.
Apophth.*

Exemplum 8.

De fortuna quæ firmat quoque ditionem si bona qua non insolenter gestiendum.

E §

Erasm. **P**hilippus Rex Macedonum, cum quo
lib. 4. mea sententia, nullus ex græcorum
Apoph. Regibus, conferendus, vel ingenii dexte-
 ritate, vel dictorum urbanitate: cum ei
 nuncium esset allatum, uno die, multas
 res feliciter ac prospere gestas esse, porre-
 ctis in cœlum manibus exclamavit: & ô
 fortuna, inquit, pro tot tantisque bonis
 levi quopiam malo me affice. Vir corda-
 tissimus non insolenter gestiit ob rerum
 successum, sed fortunæ indulgentiam,
 suspectam habuit, cuius ingenium esse
 novit, ut quibus exitium molitur, his
 prius nova rerum prosperitate blâdiatur.

LIBRI QVARTI

Cap. 7.

De odio subditorum in Magi-
 stratum. Quod ex his tribus cau-
 sis oritur. 1. Ex nimio supplicio
 cōtra subditos. 2. Ex graviori tri-
 buto. 3. Ex intollerabili cēsura in
 mores & luxū subditorū. Mores
 voco. 1. lasciviam & libi-
 dinem. 2. Ebrietatem.
 3. periuria. &c.

Ad

Ad luxum colloco. 1. pecuniam.
2. convivia. 3. vestes.

Exemplum. 1.

De odio subditorum in genere.

DEmosthenes ad juvenes quos habebat familiares, dicere solebat, sibi gnaro jam quantum invidiæ, metus, calumniæ ac discriminis sit expectandum ad Rempubl: accedenti; si ex duobus alterum sit eligendum, citius in exilium iturum, quam ad suggestum aut tribunal. *Eras. lib. 4. Apophth.*

Exemplum. 2.

De prima causa odii, nimio scilicet supplicio id est Tyrannide.

CVculo minores aviculas percontanti, cum ipsam fugerent, quoniam in- quiebant, suspiciamur te aliquando futurum accipitrem. Coccyx enim specie non multum differt ab accipitre. Cavendum ab his, qui Tyrannidis specimen moribus ædunt. *Eras. lib. 6. Apophth.*

Ex-

Exemplum 3.

De nimio supplicio seu Tyrannide.

OMnibus Dionysio Tyranno exitium imprecantibus, una foemina anus quotidie diluculo DEUS comprecari solet, ut esset incolumis sibi que superstes. Accita à Rege mulier rogata est, undè tanta in Regem benevolentia. Quoniam, inquit, cum puella essem, & gravem Tyrannum haberemus, optabam mortem illius: eo interfecto deterior arcem occupavit. Et hujus exitium optabam. Nunc quum te habemus; superioribus etiam gravioꝛē, vereor ne si tu pereas succedat, etiam deterior, eo que caput meum pro tua salute devoveo: tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit.

Exemplum 4.

De altera causa odii, nimirum de graviori tributo.

*Dion:**Nicaus**in tiber.*

Tiberius Cæsar cum depræhendisset
Æmi-

Æmiliū rectū quem Ægypto præfe-
cerat, nimium à populo exegisse, super ea
re iratus, rescripsit: se tonderi velle suas
oves, non deglubi. Solent autem princi-
pes deglubere oves, cum graviores exa-
ctiōnes subditis imponunt, quam ullo
pacto ferre possunt.

Exemplum 5.

De tertia causa odii, de intollera-
bili censura in mores & lu-
xum subditorum.

Alphonſus potentiffimus ille Arrago-
num Rex, dicere ſolebat eos qui ali-
is præſſent, tanto privatis hominibus
meliores eſſe oportere, quantò honori-
bus & dignitate antecellerent: ſentiens
tum demum ſubditorum mores recte
formari poſſe, ſi hi, quibus Reipubl. gu-
bernatio commiſſa eſt, vitæ inculpatæ
exempl'o præcedant, & vivum ſint exem-
plar omnis virtutis.

*Panor.
lib 6. de
reb. geſt.
Alphon.*

Exemplum 6.

De laſcivia & libidine ſub-
ditorum.

Hic.

Plutar.
in Rom.
Apoph. **H**iero Siciliae Tyrannus Epicharmo comico poetæ, quod præsentem ipsius uxore dixisset quiddam inhonestam, mulctam dixit. Epicharmus siculus erat, juxta regionis naturam plurimè foci: At Rex tantum judicavit esse tribuendum reverentiæ conjugio, ut crimen existimaret audiente uxore joculari lascivius. Si hoc fecit Tyrannus, multo magis magistratus probi punient in subditis.

Exemplum 7.

De libidine.

Eras.
lib. 4.
Apoph. **F**ertur aliquando navigasse Demosthenem Corinthum, illectum fama nobilissimi scorti Laidis, ut ipse famoso amore potiretur, at cum illa pro nocte stipularetur, drachmarum decem millia, deterritus magnitudine precii, mutavit sententiam, dicens, non emo tanti pœnitere. Significans inhonestæ voluptati paratam esse comitem pœnitentiam. Utinam hodie per magistratum, hujusmodi vitiis obnoxii, maximo afficerentur supplicio, non tanta lasciviarum seu libidinum ac scortationum esset frequentia. Tunc neque in magistratu neque in subdito pœnitentia opus foret.

Ex.

Exemplum 8.

De libidine & scortatione.

Conspiciens quendam meretrici supplicem ut impetraret quod petebat, quid, inquit, tibi jus miseri? præstat non impetrare quod rogas à scorto reiici feliciter est quam admitti: & tamen plerique malum suum & ambiunt instanter, & magno emunt. Utinam hoc non fieret ex conniventia quorundam magistratum.

*Eras.
lib.3.
Apopht*

Exemplum 9.

De ebrietate.

Cum Philippus Macedonum Rex cognitionem exerceret parum sobrius, ac perperam adversus mulierem quandam tulisset sententiam: Illa sentiens errorem esse vini non regis, exclamavit, provocarem, inquit, ad Philippum, sed sobrium.

Exemplum 10.

De ebrietate.

Pittacus legem tulerat, ut qui per remulentiam sceleris aliquid commisissent, duplo plecterentur, Solet enim

*Laërt.
lib 5.*

*Solet cap.5.
enim*



enim vulgus hominum, ebrietatis obtentu crimen extenuare, ideo factum ferunt, quod Insula vino abundaretur,

Exemplum 11.

De ebrietate.

Stobaeus sermon. 26. & laert. li. 1. cap. 9. **P**ythagoras ut & Anacharsis interrogat ac consulti, qui nam vinosus ebrietatem desereret? Item qua ratione quis auferret? Responderunt, si quæ per temulentiam facit frequens animo voluat, semperque præ oculis habeat ebriorum indecoros mores.

Exemplum 12.

De conviviis & luxu subditorum.

Erasmi lib. 5. Apoph. **S**ertorius Romanus ille, admonere solebat suos, ne quid in convivio præter decorum vel fieret vel diceretur, præsertim à Jurgiis & obscœnitate temperare. Nec ipse quicquam tale sustinebat vel audire vel videre. O quàm dissimiles hodie sunt ethnico (attamen conscientioso mili-

liti) qui conviviis lautissimis non modò
adsunt, verum etiã turpia ac scurrilia di-
cta audiendo perferunt: Quorum tamen
munus esset, id & verbis reprehendere &
ex officio punire.

Exemplum 13.

De conviviis & conversa-
tione.

Diogenes Cynicus adolescenti formo-
so ad convivium eunti, deterior, in-
quit redibis, reversus vero à convivio a-
dolescens, cum Diogeni dixisset, ivi nec
redii deterior; inquit Diogenes, deterior
igitur, judicans fieri non posse, ut adoles-
cens ex convicta improborum non fiat
deterior. Propterea Epictetus hominem
cum quo conversamur, tribus modis
considerandum esse suadebat: Nempe ut
præstantiorem nobis, aut inferiorem aut
æqualem. Præstantiori quidem ausculta-
re & obtemperare convenit, minori mo-
destè persuadere, æquali autem consenti-
re. Et hoc sane modò in conversatione
hominum nunquam in contentionem
incides.

*Laërt.
lib. 6.*

*Stob.
sermon.
3. de
tempe-
rant.*

Ex.

Exemplum 14.

De pecunia.

*Eras.
lib. 2.
Apoph.*

Cum pecuniæ olim essent in Lacedæmoniorum regionem confectæ, illi qui eas importarant, morti damnati fuerunt, si quidem Alcameni & Theopompo regibus, hoc oraculum erat redditum, pecuniarum amor spartam perdet. Proinde sparta donec Lycurgi legibus uteretur, nec a jurejurando recederet, sexcentis annis in græcia primas tenuit & legum æquitate & gloria. Sed cum ab his paulatim defluerent, inundaretque obiter divitiarum amor, & avaritiæ malum; Non solum ob hæc decrevit illorum potentia, verum etiam, quibus antea sociis & amicis in bello fuerant usi, eos inimicos habere cœperunt.

Exemplum 15.

De pecunia.

*Erasm.
lib. 2.
Apoph.*

Gorgo Cleomenis regis filia, cum Aristagoras Milesius Cleomenem ad bellum pro Ionibus adversus regem Persarum

farum suscipiendū hortaretur, magnam pecuniarum vim pollicens, quantoque magis ille recusabat, tanto plus adderet promissæ summæ, Pater, inquit, corūpet te hic peregrinulus, in ocyus cum ædibus extruferis. Ubi nunc sunt, qui dicunt, avarum mulierum genus, cum Gorgo pro hortatrice patri fuerit dehortatrix.

Exemplum 16.

De vestibus.

Alexander severus gemmas omnes quas reperit in palatio, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens, viris gemmas usui non esse, matronas autem regias contentas esse debere uno reticulo atque in auribus, & baccato monili, & corona in qua sacrificarent, & unico pallio auro sparsito & cyclade, quæ plus sex uncis auri non haberet. Hic cultus hodie vix sufficit negotiatorum uxoribus.

*Erasmus
lib. 6.
Apopht.*

Exemplum 17.

De vestibus.

Demonax Cynicus cuidam qui purpura indutus sese insolētius ostentabat, in au-

rem

*Erasmus
lib. 8.
Apopht.*

*Panor.
lib. 1.
de reb.
gest. Al-
phonsi.*

rem dixit : Heus tu, hoc ante te gestabat
ovis, & ovis erat. Significans illum nihil
ominus stupidam esse, etiamsi gestaret
purpuram. Vestis enim neminem melio-
rem nec deteriore facit. Recte igitur
Alphonsus Aragonum Rex cum vestitu
cultuque corporis non multum discre-
paret à popularibus suis, admonitus à
quodam ut regio ornata incederet; Re-
spondit; malo moribus & autoritate
meos excellere, quàm diademate & pur-
pura.

Exemplum 18.

De luxu.

CUM Lucius Lucullus post obita mili-
tiae munia sese voluptatibus dederet
ac sumptuosè viveret, Pompeium inte-
rim reprehenderet, quod praeter aetatem
multis negotiis appeteret implicari, ma-
gis, inquit, praeter aetatem est, senem deli-
cious vacare quam imperium gerere, gra-
viter taxavit illorum sententiam, qui pu-
tant senibus nihil agendum, cum deco-
rum sit Rempubl. gubernantem, vel
stantem mori Luxus autem & ocium in-
juvenibus stultitia est, in senibus crimen.

Ex-

Exemplum 19.

De luxu subditorum.

Cum Perse, quoniam regionem habebat montuosam aspernamque, cuperent eam campestris a molliore commutare, non passus est Cyrus dicens, quemadmodum plantas ac semina, sic hominum mores ad regionis habitum immutari. Sentiens se velle duros homines & laboribus accommodos. Nam mollis ac fertilis regio molles & ignavos gignit homines.

*Eras.**lib. 5.**Apophe.*

LIBRI QVINTI

Cap. 1.

Quod agit de suscipiendo rectè bello 1. de iniustitia 2. de temeritate.

Exemplum 1.

De iniustitia in bello vitanda.

*Plut. ar.
in Rom.
Apoph.*

Pompeius magnus jam creatus Imperator, cum à Sylla missus esset in Siciliam, non strenuum modò, verùm etiam iustum ducem agere cœpit. Quum enim audisset milites in profectibus ab itinere deflectentes, vim facere ac rapere, temerè palantes ac circumcurstantes supplicio affecit, quos verò præmisset ipse, hoc uon gladius annuli signum impressit, ne quem in via læderent.

Exemplum 2.

Brev. li. De iniustitia in bello vitanda.

l. ca. 15.

Aurelianus Imperator, cum à vicario suo

suo literas accepisset, quibus efflagitabat, ut rescriberet, quomodo res gerenda esset, statim rescripsit hunc in modum: Si vis tribunus esse, imò si vis vivere, manum militum contine, nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat.

Exemplum 3.

De temeritate fugienda.

Cæsar Augustus eos, qui levem ob causam periculis se exponerent, similis aiebat esse aureo hamo piscantibus, qui plus damni amisso semel hamo acciperent, quàm multarum capturarum lucro posset reparari.

*Fu'g. li.
7. cap. 2.*

Exemplum 4.

De temeritate fugienda.

Scipio Africanus dicere solebat, in re militari turpe verbum esse non putaram, quod in aliis rebus interdum locus datur, malè instituta posterioribus consiliis melioribus corrigere. Cæterum quæ ferro peraguntur, ea non oportet temere aggredi, quòd hic error ferè est immendabilis: Sed delibe-

*Plutarch.
in eius
vita.*

ram-

randum est diu quod statuendum est se-
mel.

LIBRI QVINTI

Cap. 2.

De militibus.

Quidam respiciens Lacedemonio-
rum quendam claudum ad bellum
excuntem, cum ei equum veluti debili
necessarium quæteret. Non intelligis, in-
quit, Agesilaus in bello opus esse non
qui fugiant, sed qui loco maneant? signi-
ficans eos demum esse bello milites, qui-
bus decretum est in prælio aut vincere
aut mortem appetere.

LIBRI QVINTI

Cap. 3.

In quo de duobus. 1. de
electione militum 2.
de militari disci-
plina.

Ex-

Exemplum 1.

De electione militum.

Aristoteles cum jam natus annos 60. adeo laboraret, ut nulla plane spes vitæ superesset, convenerunt ad eum discipuli, rogantes, ut ex ipsis successorem eligeret. Erant autem duo inter auditores præcipui, Theophrastus Lesbicus, & Menedemus Rodius: Iussit Aristoteles vinum exoticum sibi, Rodium scilicet & Lesbium adferri, ut extremum biberet vale, & gustato vino præmium Rhodico, dixit firmum hercle & jucundum. Mox gustato Lesbico, utrumque, inquit egregium bonum sed Lesbium suavius: Id ubi dixit nulli dubium fuit, quin electione Theophrastum Lesbium successorem sibi fecerit: similiter de electione militum procedendum.

Exemplum 2.

De militari disciplina.

Quidam in acie, cum strictum iam enssem in hostem esset infixurus,
F

Quoniam interim signum datum est re-
centui canens, non infixit; Roganti ve-
ro cuidam, cur hostem quem in pote state
habebat non occidisset? Quoniam, in-
quit, melius est parere Imperatori, quam
hostem occidere. Exemplum disciplinæ
militaris: à quâ immane quantum re-
cesserunt, qui sub belli titulo mera exer-
cent latrocinia, luce clarius est.

Plura exempla de iniustitia in bello vi-
tanda vide supra eodem libro cap. I.

Exemplum 3.

De disciplina militari.

Eras.

lib. 6.

Apoph.

Vigilanter providit Alexander severus
Imperator ne Tribuni duces ne quic-
quam fraudarent de stipendiis militum,
dicens, miles non timet nisi vestitus, ar-
matus, calceatus, & satur, & habens ali-
quid in zonula: sentiens militem cum
aliquid habet metuere ne perdat, sed
mendicitas ad omnem desperationem
vocat armatum.

L. H.

LIBRI QVINTI

Cap. 5.

De signis boni robustique militis quorum sunt 5. 1. patria 2. ætas. 3. corpus. 4. animus. 5. vita.

Exemplum 1.

De patria.

PAulus Æmilius consul romanus *Eras.*
 habebat duos filios remanentes in fa- *lib. 5.*
 milia, quorum alter quinque ante trium- *Apoſ.*
 phum diebus interiit, annos natus qua-
 tuordecim: alter quinto post actum tri-
 umphum die, annos natus duodecim: ob
 id populo luctum ac mœtorem cum illo
 iungente, ipse prodēs ad multitudinem
 dixit, se post tam continuos rerum
 successus aliquid magni mali à for-
 tuna expectasse: se vero nunc de patriæ
 incolumitate securum esse factum
 nihilque timere periculi, posteaquam
 fortuna prospere gestarum rerum

invidiam in suum dominum impingente, ipse pro omnibus dependisset,

Exemplum 2.

De patria.

Sylla cum Præneste oppidum cepisset armis, decrevisseque quicumque erat civium trucidare hospitem suum iussit excipi, hoc beneficio pensare volens hospitii communicati gratiam. At ille contra liberè, nolo, inquit, patriæ meæ extinctori debere vitam: simulque turbæ civium sese admiscuit, & cum illis trucidatus est.

LIBRI QVINTI

Cap. 6.

Quod agit de tribus. 1. de militum continentia in cibo, potu, ac venere. 2. de abstinentia à rapinis. 3. de pœnis malorum, præmiisque bonorum militum,

Ex-

Exemplum 1.

De continentia in cibo & potu.

ARehidamo cum quis promississet suatissimum vini genus: quorsum, inquit, opus est? quandoquidem quo melius est, eò plus abstineretur: & quæ fortes decent viros, ea reddunt inutiliora. Ovei è masculinum animum, & omnium deliciarum contemptorem.

*Plutar.
in Laco.*

Exemplum 2.

In cibo & potu.

Demades orator prandens apud Phocionem, cum apparatus admodum tenuem videret, demiror, inquit, ô Phocion, te Rempubl. administrare, cum possis ad istum prandere modum. Bis errans, & quod lucri tantum causa putaret adeundam Rempubl. Et quod luxum probaret in eo cui maxime conveniebat sobrietas. Sed Demades alios è suis moribus aestimabat. Erat enim & pecuniarum avidus & luxui deditus.

*Eras.
lib. 6.
Apoph.*

Ex-

Exemplum 3.

De continentia in cibo & potu.

*Eraj.
lib 6.**Apopht.*

Agesilaus Rex quod ad sui corporis curam attinebat, nulla in re melius habebat quam hi, quibus cum vivebat: à saturitate quidem & crapula in totum abstinens, somno vero sic utebatur, non ut ille dominaretur, sed ut serviret negotiis: adversus æstum autem & frigus sic erat instructus, ut quatuor anni temporibus unicus tantum vestibus uteretur: Illud assidue habens in ore Principis esse non mollicie delitiisve, sed temperantia & fortitudine privatis hominibus antecellere. O vere Regiam vocem, nam ea vox omnes Principes decet.

Exemplum 4.

De continentia à venere.

*Erasm.
lib. 4.**Apopht.*

Alexander magnus cum apud Antipatridem cœnaret, isque ad cœnam formosam Psaltriam induxisset, Alexander aspectu motus in illam exarsit: mox roga-

rogavit Antipatridem nunquid ipse mulieris amore teneretur: illo confidente, ô sceleste, inquit, non tu protinus abduces è convivio mulierem? quantum ille animus aberrat à constupranda aliena uxore, qui tantopere sibi metuit ab amica hostis.

Exemplum 5.

De continentia à Venere.

CUM Cassander Pythonem Evii tibi- *Erasm.*
cinis Amasium per vim osculari vel- *lib. 4.*
let, idque Evium ægre ferentem sensisset *Apoph.*
Alexander magnus iratus exiliit in Cas-
sandræ clamans, itane per nos, ne ama-
re quidem quicquam licebit? non satis
erat Regi, si seipsum præstare continen-
tem, nisi & præfectos haberet sui similes.
Quando autem passus fuisset à suis per
vim constuprari filiam aut uxorem ho-
nesti civis, qui tibiicini suos amores eti-
am ab osculo voluit esse inviolatos? de-
nique quod duces peccarent, arbitratus
est ad se pertinere.

Ex-

*Exemplum 6.*De continentia à delitiis &
cibis.*Eras.**lib. 4.**Apopht.*

Æ Grotanti Pompeio magno medicus præscripserat ut turdis vesceretur. Cumque hi quibus datum erat negotium negarent inveniri, non enim erat tempus quo genus hoc avium capi solet, admonuit aliquis apud Lucullum inveniri posse qui turdos toto anno soleat alere. Itane inquit Pompeius, nisi delitiis deditus esset, Lucullus, nequaquam viveret Pompeius? contemptoque medico, cibis parabilibus usus est. O vere masculinum animum, qui ne vitam quidem delitiis acceptam ferre sustinuit.

Exemplum 7.

De continentia à venere.

*Eras.**lib. 8.**Apopht.*

E Legantissimum continentiae exemplum habemus in Alexandro magno, nam cum is Darii Regis Persarum filias, quas habebat captivas, inviseret (prædicabantur enim puellæ admirabili esse forma)

ma) noluit ire, dicens, sibi non committendum, ut cum viros vicisset à mulieribus vinceretur,

Exemplum 8.

De continentia.

Anacharis Scytha statuis atque imaginibus suis inscribi iussit, linguæ, ven- *Laërt. lib. 1.*
tri & pudendis temperandum. Quod maximorum malorum causa sit lingua effrenis, & luxu nihil turpius. Libido pecudem ex homine reddat.

Exemplum 9.

De continentia à venere.

TOtila Gothorum Rex cuius & cæteris Campaniæ urbibus captis, cum ingentem Romanarum mulierum numerum in illis interciperet, quas Romani cives ob novos belli terrores ubi imminentes procul domo ablegarant, ut earum pudicitia, in omnem belli eventum tuta essent; eratq; in his omnis Romana nobilitas, captivas honestè & sanctè bar- *Sabel. lib. 6.*

barus penes se habuit, honestoque comi-
tatu ad suos Romam sine precio misit.

LIBRI QVINTI

Cap. 7.

De ducibus belli, item de eorum
scientia & prudentia
in re milita-
ri.

Exemplum 1.

De ducibus belli in genere.

*Aeneas
syll. lib.
2. com-
mod. de
reb. gest.
Alph.*

Albertus Austriae Dux eius nominis
quintus, in bello quod contra Bohe-
mos, priusquam Romanis imperaret,
gessit, interrogatus quem copias praefice-
re statuisset? si alium, inquit, quam me,
ductorem exercitus petitis, frustra Au-
striae ducem appellatis. Dux enim revera
est, qui exercitum ducit, & quem acriter
pugnantem exercitus sequitur.

Exemplum 2.

De ducibus belli.

*Plutar.
in sertor-
rii vita;*

SERTorius cum Pompei milites variè
di-

perfos superasset multis occisis, audivissetque adventare Metellum senem cum aliis copiis, diremit praelum, revocatisque suis dixit: Ego puerum hunc, nisi supervenisset anus illa verberibus castigatum domum remissem. Unde liquet, quantum duces senes & experientia rerum edocti, iunioribus & rerum imperitis sint antepponendi.

Exemplum 3.

De ducibus belli.

Iphicrates oratori cuidam in concione hunc *Eras.*
 in mundum ipsum interroganti, quis es *lib. 5.*
 ut tam sublimes geras spiritus? num eques, aut sagittarius, aut scutatus, aut pedes? *Apopht.*
 nihil horum inquit Iphicrates, sed qui his omnibus imperare didici. Sentiens pulchrius esse, bonum prestare ducem quam quem vis militem.

Exemplum 4.

De ducum prudentia.

Celebratur illud Eripidis dictum unicuique consilium rectum magnam militum *Eras.*
lib. 8.
 F 6 *Apopht.*



manum vincere. Quo prudenter admonuit non perinde referre quam nunc rosum educas exercitum, sed quam cordati sint exercitus duces. In bello siquidem longo plus habet momenti prudentia solertiaque, quam vires consilii expertes.

Exemplum 5.

De ducum prudentia,

Plutar.
in gra.
Apoph. **I** Phicrates quod sutore patre natus esset, erat contemptui. Is cum in amicorum ac sociorum agris haberet exercitum, ac nihilominus & vallum jaceret, & fossam foderet accuratè, cuidam dicenti: Quid metuimus? pessimam esse ducis vocem, haudquaquam putaram: significans, in tranquillissimis rebus interdum existere periculum, quod nullus expectasset. Adversus inopinatos igitur casus prospexit suis copiis, ne si quid accidisset, dicere cogereetur, non putaram.

Exemplum 6.

De ducum prudentia.

Plutar. **P**HOCIÒ Dux Atheniësis interrogatus ab oratorib. quid ipse boni fecisset Reipubl. ?
Ni-

Nihil aliud, inquit, nisi quod donec ego vobis fui Dux, nulla dicta est oratio funebris, sed omnes vita defuncti in maiorum monumentis sepulti sunt: alii jactabant cruentas victorias. Phocion existimabat fortissimi ducis esse, sic administrare rem militarem, ut nulli aut quam paucissimi pereant. Mos autem erat Athenis, eos qui in acie cecidissent apud populum laudare ac cenotaphia erigere.

LIBRI QVINTI

Cap. 10.

De 8. cap. supra dictum, agitque hoc caput de victoria in qua victoria observandum ut cum lenitate & modestia illam habeat.

Exemplum. 1.

Alphonfus Arragonum Rex non tam *Panor.*
 quod hostes vincere & sciret, & posset *lib. 2.*
 gloriabatur, quam quod victis consulere *dereb.*
 didicisset. Illud quidem fortunæ inter- *gest Al-*
 dum munus esse dixit, hoc autem sem- *phonsi.*
 per

per suum. Refocillare enim victos verè regium est, debellare autem hostes fortunæ est.

Exemplum 2.

De victoria leniter habenda.

Æneas Sylvius lib. 3. Comment. de reb gest. Alphons **L**Aurentius Ungariæ palatinus, cum diceret, imprudenter agere Sigismundum Imperatorem, qui victis hostibus non solum vitam & opes relinqueret, sed etiam eos inter amicos reciperet, extolleretque: Tibi inquit Sigismundus, videtur utile inimicum occidere, nequaquam enim mortuus bellum excitat: At ego inimicum occido dum parco & amicum facio dum extollo Ostendit autem pulchrius esse benefaciendo quàm potentiâ inimicos vincere,

Exemplum 3.

De victoria leniter habenda.

Panor. lib. 1. de reb gest. Alphons **A**Rragonum Rex Alphonsus, cum Caletam urbem obsideret, coacti sunt oppidani ob famem qua graviter vexabantur, ad bellum inutiles à Civitate expellere:

re: in quos cum incidisset Rex, adhortatus ut ferro trucidaret omnes: Nequaquam bellum, inquit, contra puellas, fœminas, senes, ac innocentem suscipimus, sed contra viros, de victoria manu nobiscum decertantes. Et sic peperit Rex imbelli ætati, ab hostibus civitate pulsæ ob famem. Alphonsum sane Agesilaum qui similem pietatem desiderarent. Siquidem nunc de magna gloriantur animi fortitudine, qui trucidatis infantibus ac senibus, eam ætatem obducunt, quæ vel libidini apta est, vel labori vel utrique,

Exemplum 4.

De victoria obtinenda.

TRajanus valentis impiissimi Romanorum Imperatoris contra Gothos Dux, cum primum quidem congressum eorum sustinens victus rediisset, ignaviam ei & timiditatem cum convicio Imperator objecit. Ille autem ea dicendi libertate quæ virum fortem & strenuum: Non ego, inquit, ô Imperator victus sum, sed tu ipse sponte tua victoriam à te ipso reiicis, qui ita cum DEO belli-

*Niceph.
Callist.
lib. 11.
cap. 40.
Eccle-
siast. hi-
stor.*

ge-

geratis, momentumque quod ab eo pro-
venit repellens, ad hostes potius remittis:
Deus enim semper vincit & victoriæ illis
favere solet, qui auspiciam ductumque
eius sequuntur. Is nunc ab adversario-
rum partibus stat, quod cum tu bello (in-
sectabatur enim eos qui jam Christia-
nam Religionem acceperā.) persequeris,

Exemplum 5.

De victore benigno.

Erasm.
lib. 5.
Apopht.

Demetrius Anthigoni filius, cum A-
theniensium, qui defecerant, urbem
cepisset, eaque graviter rei frumentariæ
penuria laboraret, convocata concione
dilargitus est illis frumentum gratis.
Cumque his de rebus loquens, apud po-
pulum barbarissimum commisisset, vo-
cem quamquam secus quam oportuit
pronuncians, & quidam è confessu quo-
modo sonanda fuisset dictio loquentem
interpellās, admonuisset, pro hac, inquit,
correctione altera quinquaginta medim-
norum millia vobis addo. Utrum in hoc
potius miremur, benignitatem in eos qui
modo fuerant hostes: an civilitatem, qui
corrigentis officium non tantum boni
con-

consuluit, verum etiam tanta mercede dignum existimavit?

Exemplum 6.

De victoria modestè habenda.

Alphonfus Aragonum Rex, cum gravi atque diutino bello confecto iam triumpharet, victos tamen & captos hostes triumphantium more, curium præire non passus est. Ob hostes servatos rectius quam cæsos triumphandum esse dicens. Unde apparet quanti Rex clementissimus victorias nullo sanguine partes faceret.

*Panor.
lib. 1. de
reb. gest.
Alphon.*

Exemplum 7.

De victoria modestè habenda.

Archidamus Agesilai regis filius, cum Arcadas bello superasset, ob id laudatus à quodam, præstantius erat, inquit, si illos prudentia quàm viribus superassemus. Intellexit Dux egregius, nullam esse speciosiore victoriam, quàm virtute vincere, cum viribus superemus & à brutis animantibus.

*Eras.
lib. 1.
Apoph.*

Ex-

Exemplum 8.

De victoria incruenta.

Plutar. **P**yrrius Epirotatum Rex bis commisso cum Romanis prælio vicerat, sed desideratis compluribus amicis & ducibus: Hic Pyrrhus, hi, uno, inquit, adhuc prælio Romanos vicerimus, actum fuerit de nobis. Quo victi solent dicere, hoc dicebat victor declarans victoriam magno emptam non esse victoriam, sed calamitatem.

Exemplum 9.

De victoriae moderatione.

*Aeneas
Syl. li. 4.
de reg.
gest.
Alph.* **S**igismundus Rom: Imper: objurgatus cur fugatos hostes non insequeretur & comprehensos occideret? fatis, inquit, vicit qui hostes fugavit. Utinam & hujus exemplo monarchis nostræ ætatis persuaderi possit, magno cruore partam victoriam non existimari victoriam.

LIBRI QVINTI

Cap. 11.

De pace vera & candida, non
ficta, non fucata.

Exemplum 1.

Anthonius Pius adamabat illam Sci- *Julius*
pionis celebratissimam sententiam, *Capito-*
subinde dicens: se malle unum servare ci- *linus.*
vem quàm mille hostes occidere: pacem
videlicet bello præferens; Et in ipso bello
sentiens, hanc oportere primam esse du-
cis curam, ut quàm minimâ civium ja-
cturâ paretur victoria.

Exemplum 2.

V Baldus Eugubinae urbis Episcopus, *Marul.*
cum Cives suos in seditionem versos *lib. 3.*
pacare non potuisset, & jam ad arma esset
concursum, inermis inter tela, strictosque
mucrones irrumpens, humi prono cor-
pore sese prostravit, nec exsurrexit, donec
illi sauciû rati jacere, mutua odia in unius
mi-

miserationem convertissent. Jacens diremit pugnam, quam stans nequiverat inhibere: Audacem autem & periculi impavidum fecerat ipse pacis amor. Qui igitur eiusmodi pacis tranquillitate delectari solent, non in se tantum sed in aliis etiam mentem irritatione aliquâ alienatam allicere, ac molire modis omnibus conantur.

Exemplum 3.

*Marul.
lib. 3.*

EDgario britannici regni Diadema suscipiente, Dunstanus cantuariensis Archiepiscopus sibi divinitus prædictum audivit, pacem Britannię futuram, quam diu ille viveret. Igitur annos 16. quibus regnavit omnia in summa quiete tranquillitateque fuere. perpetuo quia prope amicitiaē foedere vicinos reges sibi devinxerat, piratus mari, prædones terrâ submoverat, in feras etiam prædæ avidas severus. Nihil esse in regni finibus passus est, quod a pacis quiete esset alienum.





LIBRI SEXTI

& ultimi Cap. 1.

De causis belli interni sive civilis: quæ duplices remotæ & propinquæ. in hoc cap. de remotis agemus, ut sunt luxus & nimia felicitas civium.

Exemplum 1.

De luxu.

S Cipio minor, cum non ignoraret, *Plutar.*
luxuriâ & voluptatibus militum e- *in Rom.*
nervari vires, omnem luxum & volupta- *Apoph.*
tem è castris suis amoveri jussit, voluit-
que ut milites stantes cœnarent, obsoni-
um non igni coctum.

L I.

LIBRI SEXTI

Cap. 2.

De causis propinquis belli civilis. quarum tres sunt. 1. factio. 2. seditio. 3. tyrannis.

Exemplum 1.

De seditione.

Brun. fu'g. lib. 9. **G** Alban, qui per omnes honorum gradus ad Imperii culmen ascenderat, & quem senatus & Romani milites ex Hispania, ut Neronis Tyrannide liberarentur, acciverant, prætoriani milites sui intremunt, cum eius rei nulla alia esset causa, nisi militum ipsorum ingens avaritia. Nam ad seditionem compulsi, quod dicerent, cum severiorem parcioremque, quam opus esset, videri. Verborum rerumque contumeliâ affectum, nulla augustalis dignitatis, nulla fidei habita ratione, in medio foro crudeliter occiderunt.

Exe.

Exemplum 2.

De seditione.

Detestanda oratio seditionis ejus fuit *Brian. fulg. lib. 9.*
 qua Scipionis Consulis exercitus, cum adversus Syllam proficisceretur, militarem disciplinam soluit. Nam cum Syllæ appropinquasset, adeo ducis imperium sprevit, ut cum neque arma neque capere, neque tueri castra vellet, à Lucio Sylla, qui non ultra 20. cohortes secum habebat, Scipionis autem exercitus sexaginta millium numerum excederet, intentoriis suis cum capi passus fuit.

Exemplum 3.

De seditione.

Furoris quoque plena Londinensium *Bapt. fulg. lib. 9.*
 seditio fuit, cum regnante Henrico sexto in Britaniâ, & cum ab urbe Londino abesse contingeret, populus meri agenti, armis arreptis glocestrensem Episcopum, cui minoris regii sigilli custodia demandata erat, occidit, atque Marchionem Suffolcensem captum in Turri custodiri jussit, à qua
 cum

cum profugeret, in via deprehensus est, atque eius caput confestim Londinum missum: cum autem iratæ plebis rabiei id non sufficeret, à rege quidam ipsius consiliani plebis arbitrio permitti sunt, quibus occisis, populus demum quievit,

Exemplum 4.

De tyrannide.

*Macro-
bii lib.
2. ca 4.
Satur.*

Augustus Cæsar, audiens inter pueros quos in Syria Herodes Rex Judæorum, tyrannus crudelissimus, interfici mandaverat, filium quoque eius fuisse interfectum; dixisse fertur, se malle suam, quam filium Herodis esse. Judæus enim cum esset, à suilla carne prohibita abstinerebat juxta legem: ob tantam autem tyrannidem à Deo gravissimè punitus Herodes, ita ut miserissima vitam clauscrit morte.

F I N I S.



Calvin. Zech. p. 283.

AB: 37 $\frac{13}{1,9}$


ULB Halle

3

006 567 800





10 17



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



2

pendium
LYPSII
VICORVM
VI. CONTRA-
emplisque ele-
bus hinc inde
lectis illu-
stratum.
tio & opera
S-PHILIPPI
NERI Laden-
alat: præfecti
chhornen-
fis.
BILI SPIRA
Augustinus Scheiderus
N N O
DC. XI.

1677

